Conjectanea Tulliana.

Pro Roscio Amerino, 127. *Ego haec omnia Chrysogonum fecisse dico ut ementiretur, ut malum civem Roscium fuisse fingeret.* Hic simplex *ementiretur* ferri nequit, cum nec per se quid ementitus sit Chrysogonus eluceat et statim fingendi verbum sequatur cum eo quod finxisse dicitur conjunctum. Quod cum vidisset Garatonius cum Jannoctio scripsit *ut emeret,* in quo ipso aegre objecto caremus et codicum auctoritas neglecta est. Itaque scribemus: *ut [crimen] ementiretur,* cf. 30 *crimen incredibile confingunt.*

In Verr. 1, 49. *Ita res a me agetur, ut in eorum consiliis omnibus non modo aures hominum sed etiam populus Romanus interesse videatur.* Hic Fritzschii emendatio, qui conjecit: *sed etiam oculi interesse videantur,* ita perficienda est ut scribatur: *sed etiam oculi et manus interesse videantur;* cf. pro Cluentio 20 *cum res non conjectura, sed oculis et manibus teneretur;* de rep. 1, 15 *quae vix conjectura qualia sint possumus suspicari, sic adfirmat, ut oculis ea cernere videatur aut tractare plane manu.*

In Verr. 2, 1, 5. *Accessi enim ad invidiam judiciorum levandam vituperationemque tollendam, ut, cum haec res pro voluntate populi Romani esset judicata, aliqua ex parte mea diligentia constituta auctoritas judiciorum videretur; postremo ut esset hoc judicatum, ut finis aliquando judiciariae controversiae constitueretur.* Mureti conjecturam *utut* propter vocem *postremo* in altero membro prorsus intolerabilem recte rejecit Halmius. Sed ne hoc quidem praetermittendum est. Cum enim dixerit Cicero, se ita ad causam Verris accessisse, ut, si in reo condemnando voluntati populi Romani obtemperatum esset, speraret fore ut judicia penes senatores manerent eorumque auctoritas confirmaretur, in altero membro exspectamus exponi, quid futurum esse putaverit voluntate illa neglecta. Unde fit ut finis ille judiciariae controversiae, quem dicit, judiciis ad equites transferendis contineatur necesse sit. Quod cum intellexisset Kayserus conjecit *pro reo cum esset judicatum.* Sed quoniam nec satis facilis haec emendatio est et populi Romani voluntatis mentionem, qua hoc membrum alteri aequetur, desideramus, scribendum esse videtur: *contra eam cum esset hoc judicatum.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

In Verr. 2, 1, 50. *Illa vero expugnatio fani antiquissimi et nobilissimi Junonis Samiae quam luctuosa Samiis fuit.* Pro voce *expugnatio*, quae nimiam et portentosam imaginem habet, hic et paulo post *expilatio* scribendum est; cf. 2, 3, 6 *expilatione Asiae*; 2, 3, 23 *in fanorum expilationibus.* E simili genere sunt Lambini emendationes in Verr. 1, 4, 11 *omnia fana depeculatus est* (codd.: *depopulatus est)*; 12 *publicorumque operum depeculatio* (codd.: *depopulatio*); 2, 1, 48 *hoc tu fanum depeculari* (codd.: *depopulari*) *audebas* ab Halmio commendatae, injuria neglectae a Kaysero.

In Verr. 2, 1, 106. *Delectat enim me hominis gravitas, scientia juris, praetoris auctoritas.* Cum male in hac enumeratione duo substantiva *gravitas* et *scientia* cum voce *hominis* conjunguntur, unum *auctoritas* cum *praetoris*, tum offendit vocum *hominis* et *praetoris* relatio contraria, quae eo ineptior est, quod scientia juris magis in praetorem quam in hominem cadit. Scribendum est: *hominis gravitas, scientia juris praetorii, auctoritas;* cf. 114 *postquam jus praetorium constitutum est;* 2, 2, 31 *Ejusdemmodi totum jus praetorium . . . fuit in Sicilia per triennium Verre praetore.*

In Verr. 2, 1, 141. *Isti color immutatus est: vultus oratio, mens denique excidit. Quid ageret, coepit cogitare: si opus pupillo redimeretur, si res abiret ab eo mancipe, quem ipse adposuisset, sibi nullam praedam fore.* Verba *si opus* et quae sequuntur, quibus Verris cogitatio ante significata continetur, non congruunt cum verbis *quid ageret*, quoniam nihil in iis inest eorum quae ad agendum vel apta vel non apta esse videri poterant. Quod incommodum ut tollatur, scribendum est: *[Nesciit], quid ageret; coepit cogitare*, quo eandem orationis formam nanciscemur, quae est in loco qui invenitur 2, 1, 149 *Iste quid ageret, nesciebat: si in acceptum non rettulisset, putabat, se aliquid defensionis habiturum: Habonium porro intellegebat rem totam esse patefacturum;* cf. 2, 2, 74 *quid ageret, quo se verteret, nesciebat;* ad Att. 9, 14, 2 *Plane nescio quid agam. Nesciit* post *excidit* facile intercidere poterat.

In Verr. 2, 2, 20. *Itaque dum exspectat, quidnam sibi certi adferatur, ante horam tertiam noctis de foro non discedit.* Non potest Verres dici exspectasse, quid certi Venerii dimissi adlaturi essent, cum nesciret, num omnino certum nuntium acciperent. Itaque scribendum est: *ecquidnam certi*, etc. E simili genere est quod in Verr. 2, 4, 150 non *quid militum aut nautarum per triennium dederit*, sed *ecquid* etc. legendum esse ostendunt verba quae sequuntur *nullum datum dicent;* cf. etiam pro Murena 79.

In Verr. 2, 2, 177. *Aut hoc contendat numquam esse factum aut omnium tela excipiat necesse est.* Et re ipsa et verbis quae antecedunt *(clamabo, descendo, perducam)* efficitur, non de aliorum hominum telis, sed de illis quibus ipse Cicero Verrem petat, hic agi. Quod cum vidisset Orellius cum plurimis codicibus scripsit *omnia;* codicis Lagomarsini 42 auctoritas, qui habet *omnium*, ne neglegatur, aptius erit *omnia mea.*

In Verr. 2, 3, 3. *Atque ille* (L. Crassus) *his praesidiis ingenii fortunaeque munitus tamen hac cura continebatur, quam sibi nondum confirmato consilio, sed ineunte aetate susceperat. Quo minus etiam praecipitur eorum virtus et integritas, qui ad hanc rem adulescentuli, quam qui jam*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

firmata aetate descendunt. Molem invidiae, quam ii suscipiant, qui altero accusando se ipsos numquam ne minime quidem a religione officii declinaturos esse profiteantur, minorem esse in adulescentulo, in iis, quae verba supra scripta sequuntur, pluribus exponit Cicero; antea ne Crassum quidem, qui etiamtum adulescens Carbonem accusavisset, ea cura liberum fuisse dixerat. Media sunt verba *quo minus* etc., quae, ut nunc feruntur, eam habent sententiam, ut ex iis ipsis, quae de Crasso commemoraverat, minorem esse adulescentulorum invidiam colligi posse videatur. Quod ne fiat cum sententiarum nexus prohibeat, Kayserus scripsit *susceperat, qua* verbis *adulescentuli quam qui jam firmata aetate* deletis. Sane ita verba intellegi possunt, sed et violentiam remedii vitabimus et quid scriptor velit facilius etiam intellegemus, si scripserimus *Quamquam minus* etc. Jam posteaquam exposuit, quantum esset onus accusatione susceptum Crassum non ignorasse, qui diceret, nullius rei se magis poenitere quam quod Carbonem in judicium vocavisset, ita pergit, ut dicat illum tamen adulescentulum fuisse, cujus invidia multo minor esset; se cum corroborata aetate Verrem accusasset, in totam vitam legem virtutis et innocentiae sibi dixisse.

In Verr. 2, 3, 53. *Nympho est Centuripinus, homo navus et industrius, experientissimus ac diligentissimus arator. Is cum arationes magnas conductas haberet, quod homines etiam locupletes, sicut ille est, in Sicilia facere consueverunt, . . . tanta ab isto iniquitate oppressus est, ut non modo arationes relinqueret, sed ex Sicilia profugeret.* Hic *etiam*, quod ita positum est, quasi arationes magnas conducere in Sicilia tantum locupletium hominum sit, cum alibi ejusmodi conductio in pauperes conveniat idque sit magnopere mirandum, ut sententia integritatem suam recuperet, delebimus. Originem duxit ex proximo *etiam.*

In Verr. 2, 3, 55. *Xeno ad se pertinere negabat: fundum elocatum esse dicebat.* Hic restituenda est lectio codicis Nanniani *fundum eum locatum,* quam injuria spreverunt editores novissimi. Primum enim mirum esset, si Cicero hic *elocatum* scripsisset, cum paulo ante scripserit *fundus erat colono locatus,* paulo post *ipsam locavisse,* deinde verba *fundum eum* aptissime congruunt cum proximis *si pareret jugera ejus fundi plura esse;* denique omnino admodum incertae auctoritatis est vox elocandi, quae quantum scio praeter hunc locum non invenitur apud Ciceronem nisi in oratione pro Flacco habita 69, ubi verba *quod elocata quod serva* post praeclaram Bernaysii emendationem *quam deo cara quod servata* nemo jam pro Tullianis venditabit.

In Verr. 2, 3, 62. *Cachinnare ipse Apronius, nisi forte existimatis eum in vino atque luxu non risisse, qui nunc in periculo atque exitio suo risum tenere non potest.* Hic quod optimi codices habent *in vino atque lucro,* Kayserus scribere malit *in veno atque lucro;* sed de veno et lucro omnino non agitur in hac tempestivi convivii descriptione. Scribendum est *in vino atque venere,* quod neque a codicum ductibus improbabile videtur et commendatur loco Varroniano Eum. 49 *ego autem quiessem plenus vini et veneris;* cf. etiam Hor. epp. 2, 3, 414 *abstinuit venere et vino.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

In Verr. 2, 3, 125. *Tum sementi prohibita aut messe amissa fructus annuus interibat, tamen incolumis numerus manebat dominorum atque aratorum: tum qui M. Laevino aut P. Rupilio aut M.' Aquilio praetores in eam provinciam successerant, aratores reliquos non colligebant.* Huic periodo ut concinnitas Tulliana reddatur, quae nunc, cum inter duo membra voce *tum* inter se relata enuntiatum *tamen-aratorum* molestissime interponatur, frangitur et comminuitur, scribendum est *amissa [tametsi] fructus. Tametsi* voce antecedente *amissa* haustum est, enuntiata autem, quorum membra vocibus *tametsi* et *tamen* conformantur, quantopere amet Cicero, non est quod pluribus demonstrem.

In Verr. 2, 3, 202. *Deinde cur in isto genere solo frumenti ista aestimatio continetur? Si est aequa et ferenda, debet populo Romano Sicilia decumas, det pro singulis modiis tritici ternos denarios: sibi habeat frumentum.* Hic quoque pro incisis orationis particulis justus verborum ambitus restituendus est scribendo *ferenda, [quoniam] debet;* cf. 2, 3, 71 *si magno emerat, quoniam tu es, qui pretia diligentissime exquisisti, . . . quare putabas etc.*

In Verr. 2, 3, 207. *In ejus modi re ac moribus si is, qui erit adductus in judicium, cum manifestis in flagitiis tenebitur, alios eadem fecisse dicet, illi exempla non deerunt.* Hic nec intellegitur quomodo *re* cum *moribus* conjungere liceat praesertim cum vox *ejusmodi* ad utrumque referatur; deinde omnino non de una aliqua re hic agi vel proxima verba *cum manifestis in flagitiis tenebitur* docent. Orator, qui paulo ante imperii Romani avaritia magistratuum vexati condicionem miserrimam explicavit, sine dubio scripsit: *in ejusmodi re [publica] ac moribus.*

In Verr. 2, 4, 27. *Quaesivi an misisset; respondit id quod necesse erat scilicet, dicto audientem fuisse praetori, misisse.* Rectissime Halmius inane *scilicet* removit et *se* quo aegre caremus, restituit. Perficienda ejus emendatio est scribendo: *Respondit id quod necesse erat Siculo, dicto audientem fuisse se* (hic Kayserus *se* melius quam Halmius ante *dicto* posuit) *praetori.*

In Verr. 2, 4, 51. *Illa vero optima est quod cum Haluntum venisset . . . ipse in oppidum noluit accedere.* Ita codices; in quo latere videtur *illa vero optima [res] est,* cf. 2, 2, 26 *mihi enim nova res est;* 2, 2, 155 *magna res est utrum tibi Siculos publice privatimque amicos an inimicos existimari velis;* 2, 4, 78 *res indigna videbitur religiones esse violatas.*

In Verr. 2, 4, 144. *Atque etiam hoc me docent ejusmodi senatuscons. (Sconsultum) fecisse laudationes (laudationem) ut omnes intellegere possent non laudationem sed potius irrisionem esse illam.* Ex hic codicum turbis eliciendum esse videtur: *ejusmodi se consulto fecisse laudationem.*

In Verr. 2, 5, 22. *Nam in ipso aditu atque ore portus, ubi primum ex alto sinus ab litore ad urbem inflectitur, tabernacula carbaseis intenta velis collocabat.* Nec omnino intellegitur, quomodo sinus ab litore inflecti possit, qui ipse flexu litus conformet vel potius inflexo litore conformetur, nec quomodo voces *ex alto* et *ab litore,* ita ut structura prorsus exaequentur, nulla

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

conjunctione diremta, juxta ponere liceat. Scribendum est: *ubi primum ex alto sinus oblico litore ad urbem inflectitur.*

In Verr. 2, 5, 113. *Non falso ille de vobis jam in morte ipsa praedicavit: Non posse Verrem testes interficiendo nos exstinguere: graviorem apud sapientes judices se fore ab inferis testem quam si vivus in judicium produceretur. Nos* corruptum esse cum certatim professi sint editores, conjecturae tamen nec aliorum nec Madvigii *voces,* quam ipse dubitanter proposuit, satis placent. Scribendum est: *Non posse Verrem testes interficiendo homines exstinguere,* ut hominibus interfectis non etiam eorum testimonium, quod vel ab inferis edituri sint, exstinctum esse confirmetur.

Pro Fontejo 24. *Ecquem hominem vidimus, ecquem vere commemorare possumus parem consilio gravitate constantia ceteris virtutibus honoris ingenii rerum gestarum ornamentis M. Aemilio Scauro fuisse?* Qui aliis egregiis artibus veluti consilio, gravitate, constantia commemoratis deinde ceteras virtutes quasi ad cumulandam laudem addit, is non potest jam his ceteris virtutibus, ne conjunctione quidem posita, honoris ingenii rerum gestarum ornamenta adglutinare. Quid verum sit ostendit locus qui invenitur de imp. Cn. Pomp. 51 *summis ornamentis honoris fortunae virtutis ingenii praeditus,* ad cujus similitudinem hic quoque scribendum est: *ceteris virtutis . . . ornamentis;* cf. etiam ad fam. 3, 12, 1 *virtutis, industriae ornamenta.*

Pro Fontejo 28. *Recordamini, judices, quanto opere laborare soleatis, non modo quid dicatis pro testimonio, sed etiam quibus verbis utamini, ne quod minus moderate positum, ne quod ab aliqua cupiditate prolapsum verbum esse videatur. Verbum,* quod non modo supervacaneum est post enuntiatum proximum *quibus verbis utamini,* sed propter collocationem etiam vitiosum, eo minus delere dubitabimus, quod statim § 29 sequitur *illud verbum consideratissimum,* unde facile inrepere potuit.

Pro Fontejo 32. *Hoc vestrae mentes tam castae, tam integrae sibi suscipiant, ut, cum omnes legati nostri, qui illo triennio in Galliam venerunt, omnes equites Romani, qui in illa provincia fuerunt, omnes negotiatores ejus provinciae, denique omnes in Gallia qui sunt socii populi Romani atque amici M. Fontejum incolumem esse cupiant, jurati privatim et publice laudent, vos tamen cum Gallis jurare malitis.* Vocem *jurare* quod Orellius ita defendit, ut dicat juratos judices cum testibus juratis recte jurare dici, esset hoc aliquid, nisi legati illi, negotiatores, socii, qui jurati de Fontejo testimonium dixerunt, a Gallis, quorum in testimoniis dicendis perfidiam toties exagitat orator, eo ipso differrent, quod illi juris jurandi fidem servabant, hi neglegebant. Unde facile adparet, non *jurare* verum esse, sed eam vocem, quae proximae *jurati* contraria sit, quam efficiemus scribendo *cum Gallis pejerare;* cf. 45 *Hispania, quae profecto non modo religione sua resistere istorum cupiditati potest, sed etiam sceleratorum hominum perjuria testimoniis ac laudationibus suis refutare;* 49 *ut potius telis tibi Gallorum quam perjuriis pereundum esset.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De imp. Cn. Pomp. 8. *Verum tamen illis imperatoribus laus est tribuenda, quod egerunt, venia danda, quod reliquerunt, propterea quod ab eo bello Sullam in Italiam respublica, Murenam Sulla revocavit.* Hic parum erat quod viri docti verbo agendi notionem strenue se gerendi obtruserunt, cum praesertim verbum illud objecto vel adverbio carens nisi gerundii forma consuetudo Tulliana omnino non adgnoscat, etiam prorsus incredibiliter contrariam significationem relinquendi verbo adfinxerunt. Quamquam ne his quidem machinis difficultas tollitur, cum verba *ab eo bello* non habeant quo referantur. Quae cum ita sint, ut dicat scriptor, quod debet, scribamus *quod gesserunt [bellum], venia* etc.

De imp. Cn. Pomp. 18. *Etenim primum illud parvi refert nos publicanis amissis vectigalia postea victoria recuperare: neque enim iisdem redimendi facultas erit propter calamitatem neque aliis voluntas propter timorem.* Argumentatio oratoris ea est, ut dicat non posse calamitatem publicanorum a republica separari; etiamsi enim bello confecto vectigalia ipsa recuperentur, homines superiore calamitate perterritos ad ea redimenda non accessuros. Itaque cum pateat non de publicanis amissis, quod num omnino dicere liceat vehementer dubito, sed de vectigalibus dici, scribemus: *parvi refert rem publicam amissa vectigalia posse victoria recuperare. Posse* scripsi, quod in ipsa calamitate bellica incertum est, utrum victoria pariatur necne.

De lege agr. 1, 20. *Quid enim cavendum est in coloniis deducendis? Si luxuries, Hannibalem ipsum Capua corrupit, si superbia, nata inibi haec ex Campanorum fastidio videtur.* Praetermiserunt editores vitiosam sententiam verborum *si superbia* etc., quae nihil aliud significare possunt quam ipsam superbiam per se et in universum e Campanorum fastidio ortam esse. Obversatus est iis alter locus de lege agr. 2, 95 *ex hac copia* (Campanorum) *nata est ea arrogantia, quae a majoribus nostris alterum Capua consulem postulavit,* quo loco ipso, cum ibi arrogantia adcurate definita et ad Capuam relata proponatur, illius perversitas etiam magis elucet. Jam cum ex codicibus Lagomarsinis 1 et 20 m. p. habeant *mihi esse,* probabile fit legendum esse: *si superbia, notum mihi esse Campanorum fastidium videtur.*

De lege agr. 2, 8. *Perturbatione judiciorum, infirmatione rerum judicatarum novae dominationes, extraordinaria non imperia sed regna quaeri videbantur.* Qui Cicerone consule res novas moliebantur, multis aliis machinis, non solum infirmandis rebus judicatis vel perturbandis judiciis dominationem quaerebant nec infirmare judicia conabantur ideo tantum quod dominationi studebant, sed ipsa judiciorum perturbatio et rerum judicatarum infirmatio, quippe quae hominibus aere alieno oppressis salutem adlatura esse viderentur, ex iis erant, quae vi et tumultu adsequi instituerant. Itaque scribemus: *perturbationes judiciorum, infirmationes rerum judicatarum;* cf. §. 10 *neque vero illa popularia sunt existimanda, judiciorum perturbationes rerum judicatarum infirmationes.*

De lege agr. 2, 14. *Non enim neque natura neque discidio neque odio penitus insito bellum nescio quod habet susceptum consulatus cum tribunatu.* Non emendaverunt hunc locum Zumptius et Kayserus cum Lagomarsino 9 scribentes *natura neque studio neque odio.* Nam quod Zumptius dicit, naturale illud bellum consulatus et tribunatus dupliciter dividi, equidem non video, quomodo vel disci-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dium vel studium illud ab odio differant. Immo adparere mihi videtur, vocem *natura* ita iis quae adduntur *odio penitus insito* adcuratius definiri, ut ipsam naturam belli illius odio contineri significetur. Quo fit, ut Ciceronem nihil aliud *quam natura neque odio penitus insito* scripsisse, cetera aliena manu addita esse statuendum sit.

De lege agr. 2, 16. *Primum caput est legis agrariae, quo, ut illi putant, temptamini leviter, quo animo libertatis vestrae deminutionem ferre possitis.* Perversum est, quod legis agrariae auctores dicuntur putasse primo ejus capite populum temptari. Temptabant illi re vera, sed temptandi consilium occultabant; quodsi consilium quidem iis fuisse, sed secus rem cessisse significare volebat orator, dicendum erat: quo temptare posse sibi visi sunt. Restat ut verba *ut illi putant* ad vocem *leviter* referantur et dicatur leviter quidem illos temptare sibi visos esse, sed re vera graviter et aperte temptasse, quam subtilitatem non vereor ne quis Ciceroni obtrudat. Nimirum adparet, omnino non de illorum, sed de Ciceronis opinione agi, quoniam ejusmodi temptationem sibi propositam fuisse illi numquam concessuri erant. Ut saepe ita hic quoque simulationis figura usus est orator dicendo: *quo, ut opinor, temptamini leviter,* cf. paulo post §. 19 *qui temptavit, ut opinor, patientiam vestram.*

De lege agr. 2, 17. *Hoc tribuno plebis potissimum venit in mentem.* Haec cum Ernestio mutanda esse in *huic tribuno* praeter sententiam, quoniam non de uno aliquo tribuno, sed de Rullo sermo est, evincunt hi loci: 26 *quid ab hoc tribuno plebis vobis relinquatur;* 27 *hic autem tribunus plebis;* 31 *hic tribunus plebis;* 69 *atque hoc carmen hic tribunus plebis non vobis, sed sibi intus canit;* 70 *et nimirum id est, quod ab hoc tribuno plebis dictum est in senatu.*

De lege agr. 2, 18. *Ne hoc quidem vidit majores nostros tam fuisse populares, ut quod per populum creari fas non erat . . . in eo tamen . . . voluerint populo supplicari.* Haec pro corruptis habenda sunt, quoniam nec quia sed quamquam pontificem maximum a populo creari fas non erat, in eo creando populi rationem habitam esse consentaneum est, nec verba *in eo* nisi admodum dure ad antecedentia *pontificis maximi* referuntur, et denique *creari* subjecto caret. Quod si quis contenderit *quod* non conjunctionem, sed pronomen esse, is ipse si consideraverit non aliquid sed aliquem creari, videbit legendum esse: *ut quem per populum creari fas non erat.*

De lege agr. 2, 19. *Domitius quod per caerimonias populi fieri non poterat, ratione adsecutus est ut id . . . populi ad partes daret.* Intellexit Zumptius insolentiam verborum *populi ad partes daret,* quam eo, quod dicendi genus a scaena petitum esse putat, non excusavit. Id ipsum, quod antea dictum erat, sacerdotes, quos a toto populo creari nefas erat, a minore populi parte creatos esse, hic quoque adsequemur scribendo: *ut id . . . populo ex parte daret.*

De lege agr. 2, 22. *Optimae leges igitur hac lege sine ulla suspitione tollentur.* Quod Zumptius verba *sine ulla suspitione* sic intellegi posse putat ‚ita ut nemo eas tolli suspicetur, quia non nominantur', sane miror, quoniam paulo ante ipse orator quas leges tolli manifestum sit demonstravit. Sed ne Naugerii quidem conjectura *sine ulla exceptione* placet in duabus legibus, singulare aliquid praecipientibus, ut recte Zumptius exposuit; neque magis quod Kayserus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

scripsit *sine ulla suspitione periculi*, cum quodnam periculum hic intellegatur, nemo facile dixerit. Scribendum esse videtur *sine ulla dubitatione*, quo significabitur, nullis rationibus prohiberi Rullum quominus sua lege optimas leges illas tollat.

De lege agr. 2, 25. *Cum ad omnia vestra pauci homines cupiditatis oculos adjecissent.* Vocem *cupiditatis*, quam Tullianae orationis integritas respuit, deleverunt Baiterus et Kayserus; qui recepit Zumptius ne ipse quidem insolentiam ejus diffitetur. Latere in ea videtur *cupidi impudentis*; cf. locum quem Zumptius adfert Phil. 11, 5 *impudentissimos oculos spe et mente defigere in alicujus possessiones atque fortunas* et praeterea de lege agr. 2, 20 *Rullus homo non cupidus neque adpetens.*

De lege agr. 2, 29. *Reges constituuntur, non decemviri, Quirites, itaque ab his initiis fundamentisque nascuntur, ut non modo cum gerere coeperint, sed etiam cum constituentur, omne vestrum jus, potestas libertasque tollatur.* Hic primum *itaque* perversum esse Lambinus cum intellexisset recte cum Juntina *iique* scripsit. Sed alterum vitium latet in voce *gerere.* Quae cum objecto carere nequeat, conjecerit quispiam addendum esse magistratum, munus vel simile quid. Sin autem ad initium enuntiati respiciemus, facile intellegemus, ut verba *sed etiam cum constituentur* referantur ad vocem *constituuntur*, ita hic requiri quod voci *reges* respondeat ita ut scribendum sit *cum regnare coeperint.*

De lege agr. 2, 30. *Neque tamen nos id querimur, esse hanc tribunorum plebis potestatem, tantummodo si quis ea potestate temere est usus, existimamus.* Explicari haec non posse cum alii vidissent, Zumptius codice suo deceptus de vocis *existimare* significatione mira neque ullo pacto probabilia adtulit. Scribendum est: *tantummodo si quis ea potestate temere usus est, [vituperandum] existimamus.*

De lege agr. 2, 32. *Deinde ornat adparitoribus, scribis, librariis, praeconibus, architectis, praeterea mulis, tabernaculis, centuriis, supellectili.* Quod Zumptius pro corruptis *centuriis* conjecit *servitiis* ferri non posse, quod adparitores, scribae, ceteri jam nominati sint, recte monuit censor in diariis Zarnckianis; addere poterat, ne apta quidem esse servitia inter mulos, tabernacula, supellectilem. Scribendum est *vecturis*, de qua voce exempla conferenda sunt in lexicis ex Caesare potissimum adlata. In eadem paragrapho paulo post scriptum invenitur *formam adhuc habetis, Quirites, et speciem ipsam tyrannorum, insignia videtis potestatis, nondum ipsam potestatem.* Hic cum prius *ipsam*, quod nihil aliud significare potest nisi *solam* et alterum, quod solitam notionem habet, pessime tantulo intervallo se excipiant, prius, quod nemo desiderabit, delendum est.

De lege agr. 2, 49. *Hic mihi parumper mentes vestras, Quirites, commovere videor, dum patefacio vobis quas isti penitus abstrusas insidias se posuisse arbitrantur contra Cn. Pompeji dignitatem.* Hic primum vehementer offendit *commovere*, pro quo futurum tempus exspectatur; sed vel sic moderatione satis mira orator se non commoturum esse auditorum mentes, sed commoturum esse sibi videri diceret, ac novisse velim qui dicat *commovebo* te addito non *explicanda re* sed *dum explico*; prorsus autem absurdum *parumper* illud est, quasi provideat, commotionem

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

illam brevissimum tantum tempus mansuram esse. Ulcus opertum sanabimus scribendo: *hic mihi parumper mentes vestras, Quirites, commodate, si videtur, dum patefacio vobis.* Ejusmodi sententiae ad audientium animos erigendos adcommodatae multae apud Ciceronem inveniuntur; confer, si tanti est, de har. resp. 20 *adhibete animos et mentes vestras, non solum aures ad haruspicum voces admovete;* in Verr. 2, 5, 42 *Haec dum breviter expono, quaeso, ut fecistis adhuc, diligenter attendite;* pro Sulla, 33 *erigite mentes auresque vestras et me de invidiosis rebus, ut ille putat, dicentem attendite.*

De lege agr. 2, 57. *Ac si est privatus ager Censorius* (ita praeclare Zumptius), *quid eum excipis? sin autem publicus, quae est ista aequitas ceteros etiamsi privati sint permittere ut publici judicentur, hunc excipere nominatim, qui publicus esse fateatur.* Hic primum *ceteros in* tantis hujus orationis corruptelis in *ceteri* mutare praestat quam vel inauditam attractionem Ciceroni obtrudere vel *decemviris*, quam vocem nullo pacto omittere licebat, cogitando addere. Sed portenti instar est deponens *fateatur* passive positum, quod miror fuisse qui Ciceroni tribuere sustinerent. Ut sententia e verbis misere corruptis eliciatur, scribendum est: *hunc excipere nominatim, [quem] qui [possident] publicum esse fateantur.*

De lege agr. 2, 71. *in Sipontina siccitate aut in Salpinorum pestilentiae finibus.* Vox *finibus* cum per se prorsus supervacanea vel potius ridicula est, tum altero membro *in Sipontina siccitate* juxta posito etiam perversior videtur. Zumptius quidem quid secutus sit cum dicat, eam Salpini agri partem, quae pestilentia laboret, significari, non intellego. Scribendum esse videtur *in Salpinorum pestilentibus paludibus,* ut statim invenitur *arenam aliquam aut paludes emat.*

De lege agr. 2, 79. *Aut si hoc ab se dictum negat et satisfacere omnibus nobis cogitat, proferat, in jugera dena describat* Hic ferri nequit quod et *proferat* et *describat* objecto carent; quodsi ad *describat* fortasse pronomen aliquod aliquo modo cogitando addere liceat, quid ad *proferat* addendum sit, nemo facile dixerit. Itaque scribemus: *proferat in [quos] jugera dena describat;* cf. 85 *adjungit Stellatem campum agro Campano et in eo duodena describit in singulos homines jugera.*

De lege agr. 2, 103. *Nam si ii qui propter desidiam in otio vivunt, tamen in sua turpi inertia capiunt voluptatem ex ipso otio quo vos fortunam regitis si hunc statum, quem habetis, non ignavia quaesitum sed virtute partum* (ita Madvigius codicum scripturam *quem habetis esse non ignoravi non quaesitum sed vita partum ocium* recte mutavit) *tenueritis: quod ego et* (*ea* Madvigius) *concordia, quam mihi constitui cum collega invitissimis iis hominibus, quos vos in consulatu inimico esse et corporis (immisistis et corporis A) actibus (jactibus G) providi (praevidi A) omnibus prospexi (perspexi F) sane revocavi. Idem tr. plebis denuntiavi ne quid turbulenti me consule conflarent. Summum et firmissimum est illud communibus fortunis praesidium, Quirites, ut, quales vos hodierno die maxima contione mihi pro salute praebuistis, tales reliquis temporibus reipublicae praebeatis.* Hic primum Mommsenium verum vidisse puto, qui pro verbis *quo vos fortunam regitis* lenissima mutatione scripsit *quo vos fortuna meliore eritis.* Deinde

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

recte, nisi me fallit, Zumptius, cum intellexisset, enuntiata, qualia adhuc feruntur, non esse ita ut postulat Tulliana elegantia conexa, conjunctionem *cum* post *ego* addi eique reliquam orationem adcommodari jussit. A ceteris Zumptii mutationibus vehementissime dissentio, qui cum conjecit *quos nobis in consulatu inimicos esse et cupiditatibus proripi omnibus perspexi* non cogitavit oratorem, qui de concordia invitissimis inimicis cum collega constituta dixerit, non posse non de calumniis, quibus homines illi in hanc ipsam concordiam invecti erant, plura adjungere. Quod si tenebitur, viam, quam Madviguis scribendo *qui nos in consulatu inimicissimos fore* praeivit insistenti non ita difficili mutatione totum hunc locum ita conformare licet: *quem ego cum ea concordia, quam mihi constitui cum collega, invitissimis iis hominibus, qui nos in consulatu inimicissimos fore contionibus omnibus professi sunt, revocarim idemque tribunis plebis denuntiarim, ne quid turbulenti me consule conflarent, summum* etc. *Professi* cum in *prospexi* corruptum esset, *providi* margini adscriptum inrepsit. Quod *quem* scripsi, faciliorem pronominis relationem effeci, quam Zumptius, qui in proximis plura mutavit.

De lege agr. 3, 15. *Et quoniam qua de causa et quorum causa ille hoc promulgaverit, ostendi, doceat ipse num ego quem possessorem defendam cum agrariae legi resisto.* Nec dicere potest orator unum aliquem possessorem a se defendi cum legi agrariae resistat, quippe qui ipsius populi Romani possessionem sibi curae esse totis tribus orationibus prae se ferat, nec pronomen *ego* hic, ubi nemo dicenti opponitur, explicationem habet. Itaque scribemus: *doceat ipse sua lege quem possessorem defendam.*

Pro Sulla, 1. *Improbi ac perditi cives redomiti atque victi.* Vox *redomiti,* in qua explicanda laborant interpretes, inde originem duxit, quod ex proximis *praecipitante republica* inrepsit *re,* ita ut scribendum sit *domiti.*

Pro Sulla, 66 (de rogatione Caecilia, quae ne per vim perferretur, erant qui vererentur). *Atque in ipsa rogatione ne per vim quid ageretur quis tum nostrum Sullam aut Caecilium verebatur?* Hic *ne* nescio quo retulerint editores; ad rogationem non pertinet, ad *verebatur* si relatum erit, misera sententiae perturbatio sequetur, cum nec Graecae attractionis figuram Cicero noverit nec passivum *ageretur* ferri possit. Atqui sententiam cum eam esse pateat, ut in timore seditionum et actionum violentarum pervagato non Sullam et Caecilium, sed Autronium respexisse homines dicantur, scribemus: *atque in ipsa rogatione [et timore], ne per vim quid ageretur.* In eadem paragrapho paulo post invenitur: *ejus* (Autronii) *adspectus, concursatio, stipatio, greges hominum perditorum metum nobis seditionesque adferebant.* Hic duobus nominibus vitiosum est *seditionesque,* quoniam nec cum verbis *nobis adferebant* quomodo recte conjungi possit intellegitur nec pluralis numerus ferendus est. Itaque scribemus *metum nobis suspitionesque adferebant;* cf. de leg. agr. 1, 23 *sollicitam mihi civitatem suspitione, suspensum metu . . . tradidistis.*

Pro Archia 31. *Quae de causa pro mea consuetudine breviter simpliciterque dixi, judices, ea confido probata esse omnibus; quae firme a me judicialique consuetudine . . . locutus sum, ea, judices, spero a vobis esse in bonam partem accepta.* Verba corrupta quomodo emendanda

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sint, ostendit locus qui invenitur pro Arch. 3 *hoc uti genere dicendi, quod non modo a consuetudine judiciorum verum etiam a forensi sermone abhorreat,* ad cujus similitudinem hic quoque scribemus *quae [aliena a] forensi sermone judicialique consuetudine* etc.

Pro Flacco 6. *In tam varia jurisdictione tam multa decreta tot hominum gratiosorum laesae voluntates: quae est umquam jacta non suspitio . . . sed iracundiae vox aut doloris.* Et copula in superiore membro desiderata et sententia parum eleganter conexa et denique verba *tam multa* et *tot* aperte cum primo *tam* exaequanda suadent ut scribatur: *in tam varia jurisdictione, tam multis decretis, tot hominum gratiosorum laesa voluntate quae est* etc.

Pro Flacco 14 (in conquerenda accusatoris cupiditate et iniquitate). *Sed ut hanc vim omittam, quanta illa sunt, quae, quoniam accusatorio jure et more sunt facta, reprehendere non possumus, queri tamen cogimur.* In proximis non vim tantum accusatoris commemoraverat orator, sed cum vi conjunxerat manum arma copias, ut non possit haec omnia vocibus *hanc vim* complecti, praesertim pronomine addito, quo singularis aliqua vis significatur. Atque cum jam antea se totam hanc partem cupiditatis et odii accusatoris praetermissurum esse confirmaverit et nonnihil tantum, quod eo pertineret, ut recordarentur, a judicibus petiverit, adparet, conjunctione *sed* ad verba illa *itaque hanc partem totam relinquam* rediri et scribendum esse: *sed ut hoc totum omittam.*

Pro Flacco 19. *Mirandum vero est, homines eos quibus odio sunt nostrae secures, nomen acerbitati, scriptura, decumae, portorium morti, libenter adripere facultatem laedendi, quaecumque detur.* Ferri nequit, si quid video, quod in enumeratione rerum sociis invisarum inter secures et vectigalia, quae certa notione circumscribuntur, interponitur nomen populi Romani, cum praesertim requiratur, quod ipsum quoque servitutis gravitatem significet. Scribendum esse videtur *nomen [imperii],* ut paulo ante invenitur *propter nomen ipsum imperii;* cf. 85 *non imperium, non secures.*

Pro Flacco 38. *Cera deprehensa confiderem totius testimonii fictam audaciam manifesto comprehensam atque oppressam teneri.* Audaciam testimonio fingendo conspicuam ipsam nequaquam fictam dici posse quoniam satis adparet, scribendum esse videtur *totius testimonii stultam audaciam.*

Pro Flacco 77. *Quae quam sancte solita sint observari, scitis omnes.* Quod Baiterus conjecit, ante *solita sint* addendum esse *olim,* recte intellexit, requiri, quod sequenti enuntiato *nunc accusamur ab iis qui in consilio nobis fuerunt* respondeat; sed probabilius et arti adcommodatius erit scribere *quam sancte [ante] solita sint;* cf. pro Fontejo 18 *Quas si antea non legistis, nunc ex nobis . . . cognoscite.*

Pro Flacco 87. *Sed tamen Lurconem, quamquam pro sua dignitate moderatus est in testimonio dicendo religioni suae, tamen iratum Flacco vidistis.* Cum Cicero dicere debeat, Lurconem irae, quam in Flaccum susceperat, quominus in testimonio dicendo inmoderate indulgeret, religione prohibitum esse, verba *moderatus est religioni suae* magis contrariam sententiam continere videntur, quoniam qui religioni moderatur, id ipsum, quod ab ea alienum sit, facere

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

haud nefas esse facilius sibi persuadet. Quod sententiae vitium cum perspexisset Bremius, quem alii secuti sunt, *religioni* mutavit in *orationi*. Sed ut nihil dicam de mutandi audacia, vox religionis cum in aliis Ciceronis orationibus tum in hac ipsa toties, cum de testibus et testimonio sermo est, usurpatur (cf. 9 *testimoniorum religionem et fidem numquam ista natio coluit*; 10 de eodem Lurcone: *nihil dixit, quod laederet, cum cuperet; impediebat enim religio*; 11 de Septimio teste: *ejus iracundiae religio nonnumquam repugnabat*; 23 *dicet enim natio minime in testimoniis dicendis religiosa)*, ut hunc quoque locum suo jure vindicare videatur. Quae cum ita sint, ut vitium removeamus, relicta Bremii ratione non *religioni*, sed *moderatus est* temptabimus; praesto autem est mutatio facillima *morigeratus est*.

In senatu 26. *Itaque exstitit non modo salutis defensor, qui ante hoc unum beneficium fuerat inimicus, verum etiam adscriptor dignitatis meae.* Vox *unum* prorsus supervacanea atque adeo absurda mutanda esse videtur in *divinum*; cf. 28 *P. Lentuli beneficio excellenti atque divino*; 36 *divinorum in rempublicam beneficiorum*; cum pop. grat. egit 1 *divino inmortalique beneficio vestro.*

Cum pop. grat. egit 11. *qui provinciarum foedere irinati totum illum annum querellas senatus . . . pertulerunt.* Ex his Parisini reliquiis eliciendum est: *foedere infrenati*; cf. in Pisonem 44 *horum alterum sic fuisse infrenatum conscientia scelerum.*

Cum pop. grat. egit 13. *Cum omnia cum omnibus foedera reconciliatione gratiarum sanguine meo sancirentur.* Ita P. Scribendum est: *reconciliationesque gratiarum.*

Cum pop. grat. egit, 23. *Postremo qui in ulciscendo remissior fuit in eorum aperte utitur; at gravissime vituperatur, qui in tantis beneficiis . . . remunerandis est tardior.* In verbis corruptis *in eorum aperte utitur* latere, quod contrarie referatur ad verba *gravissime vituperatur*, perspexerunt Lambinus et Jeepius. Atque ille quidem longius a codicum ductibus recessit; quod hic conjecit *in eo rumore certe utitur* placet, nisi quod *rumore utitur* quid sibi velit intellegi nequit. Verum esse videtur *in ea re venia certe utitur.*

De domo 12. *Quid? si utrumque fuit, ut et fames stimularet homines et tu in hoc ulcere tamquam inguen exsisteres, nonne fuit eo major adhibenda medicina, quae et illud nativum et hoc delictum malum sanare posset.* Quod Orellius scripsit *delatum malum* nihili est neque cum Homerico illo ἐπισπαστὸν κακόν, quod est malum a nobismet contractum, ullo modo comparandum. Acerbam ironiam, qua in proximis superioribus Cicero dixit Clodium in ulcere tamquam inguen exstitisse, hic quoque exprimemus scribendo *delicatum malum.* Nativum malum est ulcus illud famis, qua plebs vexabatur, delicatum vel obscaenum malum (cf. de nat. deor. 1, 112 *delicatae et obscaenae voluptates)* Clodius, homo libidinosissimus, qui cum operam daret, ut concitatum vulgus etiam magis stimularet, tamquam inguen ulceris illius gravitatem augebat.

De domo 21. *Atque in hoc solum inconstantiam redarguo tuam, qui in ipso Catone, quem tu non pro illius dignitate produxeras . . . ad hunc honorem et imperium extra ordinem et nominatim rogatione tua detulisti.* Dixerat Cicero de Clodio consiliis suis secum ipso pugnante,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

qui cum semper contra extraordinarias potestates declamasset, ipse ejusmodi potestatem Catoni tribuisset. Deinceps quam non in ipso Catone sibi constiterit, exponit, cum ad eum honorem deferret, quem summis contumeliis cumulasset. Quae cum ita sint, ut difficultates hujus loci cum in primo enuntiato sententiae contrario tum in verbis *in Catone ipso*, quae non habent, quo referantur, positas tollamus, initium ita scribemus *Neque in hoc solum inconstantiam redarguo tuam* (hoc cum Halmio) *sed in ipso Catone, [qui]*. Restat ut quaeratur de turbis codicis Parisini, qui proxima altera manu ita exhibet *quem tu in eo non*, sed ante *in eo* erasam litteram et litteras *i* et *o* a correctore, in quibus latere videtur *quem in turbine illo non*; cf. 24 *tum in illis reipublicae tenebris caecisque nubibus et procellis*; 30 *in illa reipublicae flamma*; 108 *in illa tempestate*; 116 *in illis tantis tenebris*; 129 *in illo reipublicae naufragio*; *in illo incendio civitatis*, quae omnia ad tempus seditionum Clodianarum referuntur.

De domo 55. *Quid? cum Gabinio Syria dabatur, Macedonia Pisoni . . . ut . . . tibi suos speratos centuriones, tibi pecuniam, tibi familias compararent* etc. Speratos centuriones Clodio praestari non potuisse cum aliis Wolfius intellexit; scribendum esse videtur *spectatos*.

De domo 57. *An senatus, an ordines, an ii, qui cuncta ex Italia ad me revocandum convolaverunt, segniores . . . fuissent?* Non commemoraverunt novissimi editores Garatonii conjecturas ad *ordines* vel *omnes* vel *ceteros* addendum esse statuentis. Atqui *omnes* verum esse ostendit 132 *princeps senatus, tum autem ordines omnes, deinde Italia tota*.

De domo 76. *Uno enim maledicto bis a me patriam servatam esse concedis: semel cum id feci, quod omnes negent immortalitati si fieri potest mandandum, tu supplicio puniendum putasti*. Conjecturis *non negent* vel *concedent* locum non sanari inde probatur, quod omnes Clodio voce *tu* significato opponi nequeunt, quippe quem a multis vel publicis vel clandestinis fautoribus adjutum esse Cicero omnium minime negare possit. Itaque scribemus: *quod omnes boni censent*; cf. in senatu 12; 17; cum pop. grat. egit 13; de domo 5; 99; 122.

De domo 116. *Posuit Scatonem illum, hominem sua virtute egentem, ut is, qui in Marsis, ubi natus est, tectum, cui imbris vitandi causa succederet, jam nullum haberet, aedes in Palatio nobilissimas emisse diceret. Sua virtute egentem* cum nec ita accipere liceat ut significet eum qui cum sua virtute careat, egeat aliena nec ita, quod nonnullos voluisse video, ut *virtute* per simulationem quandem idem valeat quod *culpa*, vitium adguoscemus, quod sanabimus scribendo *hominem in sua civitate egentem*, quod ad proxima adcommodatissimum esse adparet.

De domo 133 (de P. Servilii et M. Lucilii auxilio in domo Ciceronis consecranda frustra a Clodio petito). *Verbis gravissimis te proterruissent neque sibi fas esse dixissent furori interesse tuo atque in patriae parricidio et scelere. Et scelere* ferri non posse vidit Halmius cum nec patriae scelus defendere liceat et *interesse* pessime ad verba *in patriae parricidio* adcommodetur. Idem cum recte intellexisset verbum requiri, quod posuit *excellere* parum aptum est ad furoris Clodiani societatem significandam, a qua viri illi abhorrebant. Scribendum esse videtur *atque in patriae parricidio exsultare*; cf. de har. resp. 1 *hominem furentem exsultantemque continui*; pro Sest. 95 *ejus furorem exsultantem repressit*.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De domo 134 in verbis *ut mutam in delicto personam nomenque praeberet* adcuratius definiri exspectamus, quodnam delictum dicatur; cumque adpareat, ab illo, qui mutam personam praebuerit, ipsum scelus removeri, scribendum erit: *ut mutam in [alieno] delicto*, ut paulo post de eodem homine est: *fierique particeps invitus alieni sceleris cogeretur*; cf. etiam or. in senatu 3 *qui cum per se rempublicam lacerare non posset, sub alieno scelere delituit.*

De domo 137 verba corruptissima *ab aequitum nota doloris bonorum omnium*, in quibus equitum mentionem latere frustra suspicati sunt viri docti, ita emendare licet, ut scribatur: *ad perpetuam notam doloris*; cf. 87 *ad sempiternam memoriam temporis*; 109 *ad memoriam omnium gentium sempiternam*; 111 *ad memoriam sempiternam turpitudinis.*

De domo 141 verbis *iste metus furore instinctus scelere praeceps* recte Halmius notam adposuit, cum homo, de quo agi apertum est, metus nomine significari non possit. Itaque scribemus: *iste metu [territus]*, ut paulo ante invenitur: *itaque istius vaecordissimi mentem cura metuque terrebant.*

De harusp. resp. 4. *Videbam, illud scelus tam importunum . . . non posse arceri otii finibus; erupturum illud malum aliquando, si impunitum fuisset, ad perniciem civitatis.* Otii fines quomodo civitati opponi possint, nemo explicavit. Scribendum esse videtur: *non posse arceri privatis finibus.*

De harusp. resp. 38. *Ne id quidem sentis coniventes illos oculos abavi tui magis optandos fuisse quam hos flagrantis sororis.* Non de sororis, sed de ipsius Clodii oculis agi viderunt Nipperdejus et Halmius. Scribendum esse videtur: *quam hos flagrantis sororiis [stupris].*

De harusp. resp. 40. *Ne per optimatium discordiam dissensionemque patribus principibusque caedes periculaque creentur auxilioque diminuitis deficiantur.* In voce corrupta *diminuitis* latere videtur *divini numinis*; cf. 2 Cat. 29 *di inmortales, qui . . . suo numine atque auxilio nos defendunt*; or. pridie quam in exsilium iret 25 *in meis miseriis divinum aliquod auxilium et numen ostendite.*

De harusp. resp. 62. *Recordamini illud etiam . . . quod eodem fere tempore factus in agro Piceno Potentiae nuntiatur terrae motus horribilis cum quibusdam multis metuendisque rebus.* Num recte fecerint editores novissimi, quod verba *multis metuendisque rebus* obelo notaverunt, dubito propter locum Ovidianum Met. 15, 24 *Et nisi paruerit, multa ac metuenda minatur*, unde cum adpareat, verba illa in formulam in rebus sacris usitatam abiisse, hoc quidem certum videtur, *multis* temptandum non esse, ut fecit Mommsenius, qui *invisis* conjecit; dubitari potest de voce *quibusdam*, quam si quis delendam esse putaverit, equidem non repugno.

Pro Caelio 12. *Habuit enim ille, sicut meminisse vos arbitror, permulta maximarum non expressa signa, sed adumbrata virtutum.* Concinnitas orationis Tullianae postulare videtur ut scribatur: *non expressa signa, sed adumbrata [simulacra] virtutum*; cf. Tusc. 3, 3 *nullam eminentem effigiem virtutis, sed adumbratam imaginem gloriae*, ubi *virtutis* cum Bentlejo delen-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dum est, et praetera de off. 1, 46 *Quoniam autem vivitur non cum perfectis hominibus planeque sapientibus, sed cum iis, in quibus praeclare agitur, si sunt simulacra virtutis.*

Pro Caelio 16. *Est ejus modi cupidus, ut magis insectari alterius innocentiam quam de se timide cogitare videatur. Ejusmodi* cum adjectivo conjungi non posse dudum viderunt viri docti. Scribendum est: *est ejusmodi cupid[itas ej]us.*

Pro Caelio 48. *Hic ego jam rem definiam: mulierem nullam nominabo: tantum in medio relinquam.* Cicero in Clodia vexanda cum se nominibus praetermissis in universum rem adumbraturum esse simulet, primum adparet, pro *jam* aptius *tantum* scribi; deinde alterum *tantum,* quo retento non intellegitur quid tandem in medio relinquatur, mutabimus in *totum;* cf. locum, de quo anto diximus, pro Flacco 13 *sed ut hoc totum omittam.*

De prov. cons. 15. *Quid? Est primum dissimile res in Sardinia . . . gesta et bellum cum maximis Syriae gentibus* etc. *Quid* interrogativum ante sententiam adfirmativam ferri non posse cum intellexisset Seyffertus conjecit *Quid? Estne primum* etc. Sed *ne* illud post *quid* num ita ponere liceat ut idem sit quod *nonne* cum admodum dubitem, cumque praeterea offendat neutrum *dissimile,* ut Tullianae consuetudini satisfiat, scribendum esse censeo *Quid est primum [tam] dissimile [quam] res* etc.

Pro Balbo 41. *Non foedus sibi nobiscum sed iniquissimas leges impositas a nobis arbitrabantur.* Hic aequalitas membrorum, qualis oratori convenit, postulat, ut scribatur: *nobiscum [ictum] sed* etc.

In Pisonem 14. *Idem illo fere biduo productus in contionem ab eo cui sic aequatum praebebas consulatum tuum, cum esses interrogatus, quid sentires de consulatu meo . . . respondes . . . crudelitatem tibi non placere.* Hic quod Halmius *sic aequatum* in *quasi addictum* mutandum esse censuit, sententiam recte intellexit; manum scriptoris, nisi fallit, restituemus scribendo: *cui solo aequatum*; cf. Liv. 6, 18 *solo aequandae sunt dictaturae consulatusque ut caput adtollere plebes Romana possit.*

In Pisonem 15. *Voluit ille senatum interficere, vos sustulistis; leges incendere, vos abrogastis. Leges incendere,* quod vereor ut vel explicari vel exemplis probari possit, mutandum esse videtur in *leges rescindere. Incendere* eo facilius inrepsit, quod statim sequitur *incendere illa conjuratorum manus voluit urbem.*

In Pisonem 20. *Quod mihi igitur certamen esset hujusmodi? cum Mario scilicet aut cum aliquo pari, an cum altero, barbaro Epicureo, cum altero Catilinae lanternario, consule?* Cum multi Romani Epicuri doctrinae dediti essent, non erat tanti Pisonem barbarum Epicureum appellare, nec recedendum erat Halmio et Baitero a scriptura codicis M *Epicuro,* qua Piso tamquam alter Epicurus isque barbarus Graeco voluptariae doctrinae auctori opponitur. Similiter § 59 in verbis *ex argilla et luto fictus Epicurus* unus V habet *Epicurus,* ceteri codices *Epicureus.*

In Pisonem 24. *non infirmitas ingenii sustinet, non insolentia rerum secundarum tantam personam.* Quamvis saepe non minus difficile sit res secundas ferre quam adversas, non tamen

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dicere licuit Ciceroni Pisonem rerum secundarum insolentia consulis personam sustinere non potuisse, quoniam consulatus illis quidem temporibus non in fortunae amplitudine, sed in laboribus periculisque pro reipublicae salute suscipiendis cernebatur. Quid verum sit, ostendit lectio codicis E *rerum sclarium*, in qua latet *rerum salutarium*. Harum rerum insolens erat Piso, cujus omnia consilia ad perniciem et pestem civitatis conferebantur, ut Cicero § 14 dicit: *nam relatio illa salutaris et diligens fuerat consulis, animadversio quidem et judicium senatus . . . quae cum reprehendis, ostendis qualis tu, si ita forte accidisset, fueris illo tempore consul futurus.* Ceterum res salutares inveniuntur etiam de deor. nat. 1, 38; 2, 34.

In Pisonem 44. *Ex qua provincia modo vir omni dignitate ornatissimus L. Torquatus magnis rebus gestis me referente ab senatu imperator est appellatus.* Donec exemplis probetur pariter atque triumphare vel triumphum deportare ex provincia Latinum esse ex provincia imperatorem appellari, scribemus: *ex qua provincia modo [rediens] vir;* cf. 61 *ex ea* (Macedonia) *sic redii;* 38 *ex qua aliquot praetorio imperio, consulari quidem nemo rediit.*

In Pisonem 82. *Quod quidem tu, qui bene nosses conjunctionem meam et Caesaris, eludebas, cum a me trementibus omnino labris, sed tamen, cur tibi nomen non deferrem, requirebas. Quod* cum non habeat, quo referatur, scribendum esse videtur *in quo* (cf. 43; 55; 78; 90); novam autem difficultatem, quae ita creari videri possit voce *eludebas* objecto carente, nullam esse, ostendunt loci qui inveniuntur de opt. gen. or. 17 *non enim in acie versatur et ferro, sed quasi rudibus ejus eludit oratio* et de harusp. resp. 22 *servorum eludentium multitudim.*

Pro Plancio 13. *Desiderarunt te, inquit, oculi mei, cum tu esses Cyrenis; me enim quam socios tua frui virtute malebam, et quo plus intererat eo plus aberas a me; mecum te non videbam. Aberat* TE; *a mecum te* TE. In his offendit cum inanis ejusdem sententiae ne conjunctione quidem posita iteratio *aberas a me* et *mecum te non videbam*, tum verba *eo plus aberas,* quae nec ad diuturnitatem absentiae referre licet nec interpretari *eo magis te desiderabam.* Codices ipsos si adcurate tenebimus, verum adsequemur scribendo: *et quo plus intererat, eo pejus habebat me cum te non videbam.*

Pro Plancio 78. *Saepe concurrunt aliquorum bene de me meritorum contentiones.* Hac lectione et codicum auctoritas violatur, quorum TE habent *propter aliquorum,* et sententia absurda efficitur, cum non pluribus amicorum contentionibus in unum congruentibus et concurrentibus se dolere Cicero dicat sed omnino, quod viri bene de se meriti nonnumquam ad contentiones descendant. Itaque scribemus: *saepe conturbor propter aliquorum bene de me meritorum inter ipsos contentiones.*

Pro Plancio 95. *Nunc venio ad illud extremum, in quo dixisti, dum Plancii in me meritum verbis extollerem me arcem facere e cloaca lapidemque e sepulcro venerari pro deo.* Hic non intellegitur, quid sit arcem facere e cloaca, cum arx et cloaca nulla societate conjuncta sint. Requiritur quod ad cloacam ita referre liceat, ut dei simulacrum ad rudem lapidem sepulcro impositum refertur, ut ex utroque perspiciatur, quantula fuerint Plancii merita, quae Cicero extollendo auxit et amplificavit. Itaque scribemus: *me arcum facere e cloaca.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Pro C. Rabirio post. 2. *Satis est homines imprudentia lapsos non erigere; urgere vero jacentes aut praecipitantes impellere certe est inhumanum.* Nec quae relatio intercedat inter *satis est* et *certe est inhumanum* nec quomodo per se dici possit, satis esse homines lapsos non erigere adparet. Scribendum est *[non] satis est [humanum] homines imprudentia lapsos non erigere.* Jam elegantissimam orationis gradationem adgnosces.

Pro C. Rabirio post. 26. *Deliciarum causa et voluptatis non modo nobiles adulescentes sed quosdam etiam senatores summo loco natos non in hortis aut suburbanis suis sed Neapoli in celeberrimo oppido cum macciapella saepe videmus.* Loco conclamato ut medeamur non magno molimine opus est. Scribendum enim erit: *cum soccis ac pallio* saepe videmus; cf. paulo post *consularis homo soccos habuit ac pallium.*

Pro C. Rabirio post. 33. *Nam non redeundo in gratiam cum inimico non violabam Pompejum: si per eum reductus insidiose redissem, me scilicet maxime sed proxime illum quoque fefellissem.* Agitur de Gabinio, quocum Ciceronem invitum et insidiose in gratiam rediisse, inimici ei exprobraverant. In ejusmodi igitur insidiosa gratiae reconciliatione Cicero ipse se minime fefellisset, quippe qui sane animi sententiam non ignoraret. Dicendum erat, futurum fuisse ut non Gabinium tantum, sed etiam Pompejum falleret. Itaque scribendum est: *si per eum reductus insidiose redissem, hunc scilicet maxime* etc.

Phil. 2, 2. *Quid enim plenius, quid uberius, quam mihi et pro me et contra Antonium dicere.* *Mihi* propter collocationem ad *plenius* et *uberius* referri nequit; cum voce *dicere* conjunctum ineptum est, nisi Ciceronem animi causa sibi ipsi, non ut causam apud senatum obtineret, dicere voluisse putabimus. Mendum sanare studuit Seyffertus scribendo *quid uberius [cuiquam] quam mihi*; sed aliis quoque forsitan ejusmodi orationem plenam et uberem videri posse Ciceronis omnino non interest. Equidem antea cogitabam de inserenda voce *licere* post *dicere*, jam video praestare *mihi*, quod ex proximis superioribus verbis *nisi mihi esset inimicus* facile inrepere potuit, delere.

Phil. 2, 12. *Placuit idem, quod consularibus M. Catoni.* Agitur de Ciceronis consulatu, quem multis viris praeclaris placuisse antea commemoratum erat. *Quod* igitur cum non habeat quo referatur, scribemus: *idem qui consularibus.*

Phil. 2, 67. *Nihil erat clausum, nihil obsignatum, nihil scriptum.* Significatione, quam Halmius voci *scriptum* tribuit ‚als vorhanden aufgezeichnet, inventarisirt', nihil profici et ipsa sententia probat, cum oratori propositum sit demonstrare, Antonium alienae domi furantem nihil tam munitum et saeptum fuisse quod effugere potuerit, et duo reliqua verba docent, quorum simile desideratur. Itaque scribemus: *nihil obstructum.*

Phil. 8, 17. *Res geritur, conductae lineae [Vliniae] sunt, pugnatur acerrime.* Rectissime Halmius professus est, non magis nos compertum habere quid lectio codicum, quam editionum *conductae vineae sunt* valeat. Quamquam lineae cum in re militari prorsus ignotae sint, vineas hic adgnoscendas esse negari nequit; vitium latet in *conductae*, quae vox cum vineis numquam conjungitur. Atqui cum saepissime apud Caesarem et alios inveniatur vineas agere, consuetudinem

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

in ejusmodi rebus dominantem secuti hic quoque scribemus: *actae vineae sunt.* Ex iis quae restant *res geritur cond* efficiendum est *res geritur gladio.*

Phil. 12, 11. *Sulla cum Scipione inter Cales et Teanum . . . de auctoritate senatus, de suffragiis populi, de pace civitatis leges inter se et condiciones contulerunt.* In pace concilianda nec omnino locus est legibus nec dictionem *leges conferre* consuetudo sermonis admittit, nec denique vel leges vel condiciones apte cum proximis *de auctoritate senatus* etc. conjunguntur. Itaque cum libri Di habeant *legis inter se condiciones,* scribendum est: *de pace civitatis agentes inter se condiciones contulerunt.*

Phil. 13, 10. *Cum hos compello, praetereo animo ex grege latrocinii neminem.* Cum non adpareat, cur voci *praetereo* adjectum sit *animo* et offendat, quod latrocinium non adcuratius definitur, scribemus: *praetereo Antoniani ex grege latrocinii neminem;* cf. Phil. 14, 10: *ad explendas cupiditates latrocinii sui;* ad fam. 12, 25, 6 *republica Antoniano quidem latrocinio liberata;* ad Att. 4, 3, 3 *occidit homines ex omni latrocinio Clodiano notissimos.*

Ad Att. 1, 13, 2. *Sunt autem post discessum a me tuum res dignae litteris nostris. Sunt* ita poni posse pro eo quod Germanice dicimus: es sind vorgefallen, cum, nisi exempla adferantur, vix sit credibile, adjiciendum esse videtur post *autem actae;* cf. 1, 18, 2 *nam ut ea breviter, quae post tuum discessum acta sunt, colligam.*

Ad Att. 1, 13, 2. *Consul autem ipse parvo animo et pravo . . . nihil agens cum republica.* Respublica tamquam persona saepe inducitur, sed hominem lentum et consiliis ab optima reipublicae gerendae ratione abhorrentem dici nihil cum republica agere non credo. Sequitur ut correctionem ipsius Medicei *in republica* adsciscamus, quam commendat locus qui invenitur 2, 7, 4 *quod gestiat animus aliquid agere in republica.*

Ad Att. 1, 16, 12. *cujusmodi divisores habitarent, adversus rempublicam.* Hanc Medicei lectionem integram reliquit Bootius, nisi quod *cujusmodi* in *cujus domi* mutavit. Sed cum absurdum sit divisores illos in magistratuum domibus habitasse dici, hoc nomine rectius Hofmannus scripsit *qui domi divisores haberent* et in ejus sententiam concederem, si editionis Aldinae lectio *haberent* codicis auctoritate niteretur. Nunc in eo quod Mediceus habet *habitarent* quoniam aliud lateat necesse est, scribendum esse videtur: *cujus domi divisores latitarent.*

Ad Att. 1, 17, 10. *Unus enim contra dixerat Metellus consul designatus. Qui erat dicturus . . . heros ille noster Cato. Qui,* quod frustra defendere conatus est Mentznerus in ann. Jahn. 95, p. 704, mutandum esse videtur in *[post] quem.*

Ad Att. 1, 17, 11. *Quid aliud scribam ad te? quid? multa sunt; sed in aliud tempus exspectari velis cures ut sciam.* Quae vulgo hic ferebantur *sed in aliud tempus. Te si exspectare velis cures ut sciam,* e margine Cratandri petita esse adfirmanti Orellio credideram, jam errasse illum ex novissima Baiteri editione modo adlata didici. Sed undecumque petita sunt, vera esse non posse, inde adparet, quod non tam id scire cupere Ciceronem consentaneum est, num omnino exspectari velit Atticus quam quando. Itaque haec quidem suo jure Baiterus rejecit, sed Corradi conjecturam *sed si in aliud tempus exspectare velis,* ad quam rediit, vereor

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

nt cuiquam probaturus sit. Scilicet nimis mirum esset, si Cicero ea quae ipse in promptu habebat, Atticus quae essent ignorabat, non vel continuo scriberet vel in aliud tempus reponeret, sed ab Attico peteret, et quidem tantis ambagibus, ut se certiorem faceret, num ea in aliud tempus differri vellet. Omnia plana erunt, si ita locum constituemus: *sed in aliud tempus. [Te quando nos] exspectare velis cures ut sciam.* Cf. 4, 16, 15 *ad quae tempora te exspectemus facias me certiorem velim.*

Ad. Att. 1, 18, 1. *Abest enim frater ἀφελέστατος et amantissimus. Metellus non homo, sed litus atque aer et solitudo mera.* In loco corruptissimo non dubito quia sequendus sit Schuetzius, qui conjecit: *Abest enim frater ἀφελέστατος et amantissimus mei, et illius nunc domus est litus atque aer et solitudo mera;* cujus emendationem perficiemus scribendo: *amantissimus mei, domi ejus non homo sed litus atque aer et solitudo mera.*

Ad Att. 1, 18, 2. *Etenim post profectionem tuam primus, ut opinor, introitus fuit in causam fabulae Clodianae.* Duarum explicationum, quas voces *in causam* admittunt, nescias utram perversiorem dicas. Verba enim *fabulae Clodianae* si cum introitu conjunguntur, quaenam fuerit causa, in quam fabula, quam dicit Cicero, introiverit et quam vim omnino ille introitus habeat, prorsus non intellegitur; sin autem verba illa ita accipiuntur, ut e verbis *in causam* pendeant, saltem dicendum erat ‚introitus fuit in causam Clodianam', quamquam ne sic quidem omnis offensio tolleretur. Quid hic requiratur, vidit Orellius cum pro verbis *in causam* conjecit *in scenam*, sed verum adsecutus non est. Scripsit enim Cicero: *introitus fuit in caveam fabulae Clodianae;* cf. Lael. 24 *Qui clamores tota cavea nuper in fabula nova M. Pacuvii?* et praeterea ad fam. 9, 16, 7 *non ut olim solebat Atellanam sed ut nunc fit, mimum introduxisti.*

Ad Att. 1, 18, 7. *Unus est qui curet constantia magis et integritate quam ut mihi videtur, consilio aut ingenio, Cato.* Hic nec vocem curandi ea significatione, qua apud Salustium et Tacitum invenitur, consuetudo Tulliana admittit, nec si maxime admittat, tollitur altera difficultas, quae posita est in ablativis, ad quos praepositio *cum* desideratur. Quae cum ita sint, dubitari nequit, quin vitium lateat, quod sanabimus scribendo: *qui careat [non] constantia . . . magis quam . . . consilio.*

Ad Att. 1, 18, 8. *si ex iis quae scripsimus tanta etiam a me non scripta perspicis, revise nos aliquando.* Frustra conatum esse Bootium *tanta* ita explicare, ut per attractionem ad proxima superiora referretur, adparebit cogitanti vocibus *a me non scripta* omne ejusmodi additamentum excludi. Immo *tanta* corruptum est ex *tua sponte*, quemadmodum est ad Att. 8, 6, 2 *nunc ut ego non scribam, tua sponte te intellegere scio quanti reipublicae intersit omnes copias in unum locum primo quoque tempore convenire.* Cf. etiam ad fam. 4, 3, 1 *multo enim ante tamquam ex aliqua specula prospexi tempestatem futuram neque id solum mea sponte sed multo etiam magis monente et denuntiante te;* ad Att. 5, 12 *quam ego cum mea sponte, tum tuis sermonibus aestimo plurimi.*

Ad Att. 2, 1, 5 ex Medicei reliquiis *cum in scicilia hereditatem sepe hereditasset* nihil aliud eliciendum est quam *cum in Sicilia aedilitatem se petere dictitasset.* In superiore *here* nec *Herae*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

latet, nec *nuper*, nec *fere*, quod novissime commendatum est, sed alterum *here* a librario male inlatum. Paulo post sententiam verborum *quod eos in hoc esse moleste fert* recte expressit emendatio veterum editionum *quod eos mihi esse amicos moleste fert*, codicis ductus artius tenebimus scribendo *quod eos mihi adesse moleste fert*.

Ad Att. 2, 7, 1. *De geographia etiam atque etiam deliberabimus. Orationes autem me duas postulas: quarum alteram non libebat mihi scribere qui absciram; alteram ne laudarem eum, quem non amabam.* Hic primum difficultatem creant verba *autem me*, cum nec *me* cum *postulas* conjungi grammatica patiatur nec *autem* in hac epistulari plurium rerum enarratione locum habeat. Scribendum esse videtur *orationes habitas a me duas*. Deinde verba *qui absciram* mutanda esse in *quia abjeceram* suspicatus est Bootius, sed abjicere orationem idem esse posse quod celeriter et neglegenter componere, non probavit loco, quem contulit, de or. 3, 102, ubi Roscius versum abjecisse dicitur ut in proximos incideret. Scripsit, nisi me fallit, Cicero *quia obsoleverat*, quo significavit, se propterea illam orationem litteris mandaturum non esse, quod ob minorem causae gravitatem oblivione esset oblitterata nec satis digna esset cujus memoria resuscitaretur. Cf. de imp. Pomp. 52 *obsolevit jam ista oratio, re multo magis quam verbis refutata.*

Ad Att. 2, 7, 2. *De Publio quae ad me scribis sane mihi jucunda sunt eaque etiam velim omnibus vestigiis indagata ad me adferas. Etiam* post *eaque* ita dicitur quasi alia quoque sibi adferri voluerit Cicero, quamquam vel sic item potius dicendum erat. Scribendum esse videtur *etiam [atque etiam]*.

Ad Att. 2, 9, 1. *Si vero, quae de me pacta sunt, ea non servantur, in caelo sum, ut sciat hic noster Hierosolymarius traductor ad plebem, quam bonam meis putissimis orationibus gratiam rettulerit, quarum exspecta divinam παλινῳδίαν.* Hic verba *ut sciat* quomodo reliquae orationi adcommodare liceat nescio. Quod enim Bootius dicit optare Ciceronem ut Clodius fidem fallat, ut sentiat Pompejus, quam ingratum se Ciceroni praestiterit, sane si verbo optandi Cicero usus esset, nemo in voce *ut* offenderet. Ut nunc scriptum legimus, quivis non *ut sciat* sed *quod sciet* exspectabit, quod ipsum Schuetzius, cum sententiam ita enarrat: gaudeo primum quod nunc Pompejus intellegat quam bonam gratiam meis orationibus rettulerit, Ciceronis verbis tacitus substituit. Neque fugit Wielandium difficultas interpretantem: Mag er dann sehn, . . . welchen sehönen Dank er mir gegeben hat, quae ab ipso inventa esse, e verbis nullo modo elici posse adparet. Restat, ut conjectura offensio tollatur, id quod ita facillime fiet, si statuemus, ante *ut sciat* intercidisse *et faciam*. Scilicet ipsa illa divina παλινῳδία, quam Attico promittit, Cicero, ut Pompejus illud sciret, effecturus erat. Cf. 3, 18 2 *fac, obsecro, ut omnia, quae perspici a te possunt, sciamus*; 3, 22, 4 *inde cum ad te me convertam faciam ut scias*; 4, 8b, 1 *verum statim fac ut sciam, si modo tibi est commodum*; 5, 4, 3 *de quinque praefectis . . . faciam ut scias*; 8, 15, 1 *quod cum scies, facies ut sciamus.*

Ad Att. 2, 14, 2. *Basilicam habeo, non villam, frequentia Formianorum. At quam parem basilicae tribum Aemiliam.* Haec, quae Lambinus ex lectione codicum *at* (Med. *ad*) *quam partem*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

basilicae elicuit, vera esse nequeunt. Cicero cum dicit, Formianum frequentia visentium non villae sed basilicae speciem praebere, addere poterat, hanc ipsam basilicam, cui villam comparavit, parem non esse tribui Aemiliae, in qua Formiani censebantur, tribum parem non esse basilicae, non poterat, quippe quibus verbis id ipsum, quod dicendum erat, in contrarium mutetur. Verum esse videtur: *Basilicam habeo, non villam, frequentia Formianorum, atque ante portam basilicae tribum Aemiliam.*

Ad Att. 2, 19, 2. *Ego autem neque pugno cum illa causa propter illam amicitiam neque adprobo, ne omnia improbem, quae antea gessi; utor via.* Hic primum vox *illam*, qua Caesaris amicitia significari vix potest, mutanda esse videtur in *illius*; deinde adparet, verba *ne omnia improbem, quae antea gessi*, quoniam eodem modo pertinent ad verba *neque adprobo*, quo *propter illius amicitiam* ad *neque pugno cum illa causa*, non recte Bosium majore interpunctione ab illis separasse. Restant verba *utor via*, quae idem valere, quod ratione, consilio utor, merito Faerno non credidit Bentlejus. Ac proxima qui consideraverit, facile inveniet, eam viam hic significari, quae ab illius causae et adprobatione et improbatione aequo spatio absit. Ergo scribendum erit: *[media] utor via*; cf. epp. ad fam. 4, 7, 3 *medium quoddam tuum consilium fuit*; de fato 39 *videtur . . . Chrysippus tamquam arbiter honorarius medium ferire voluisse*; Liv. 32, 21, 33 *nam quod Cleomedon modo tamquam mediam . . . viam consilii . . . ostendebat, ea non media, sed nulla via est.*

Ad Att. 3, 3. *Sed te oro ut ad me Vibonem statim venias, quo ego multis de causis converti iter meum. Sed eo si veneris, de toto itinere ac fuga mea consilium capere potero.* Altero enuntiato cum nihil contineatur quod superiori contrarium sit, sed significetur tantum adcuratius cur Cicero Atticum Vibonem venire velit, *sed* ante *eo*, quod alterum *sed* male repetitum genuit, delendum est.

Ad Att. 3, 8, 3. *Motum in republica non tantum ego impendere video, quantum tu aut vides aut ad me consolandum adfers.* Hic non intelligitur, cur *impendere*, quod pr. M. non habet, inlatum sit, cum et verba *quantum tu aut vides* et ea quae inveniuntur 3, 13, 1 *quem autem motum te videre scripseras* ejusmodi additamentum necessarium non esse demonstrent. Cf. etiam 10, 4, 9 *cum autem ex eo quaererem, quid videret? quod exemplum?* (fortasse *quem eventum?* ut Bootius voluit) *quam rempublicam?*

Ad Att. 3, 14, 2. *In Epirum ideo, ut scripseram, non veni, quod subito mihi universi nuntii venerant et litterae, quare nihil esset necesse quam proxime Italiam esse.* *Universi* quod ita tantum ferri posset, si scriptum esset ‚aut nuntii qui venerunt, universi nuntiabant' aut ‚nuntii venerant qui universi nuntiarent', cum Ascensiana mutandum est in *adversi*; cf. 3, 11, 1 *me et tuae litterae et quidam boni nuntii . . . adhuc Thessalonicae tenebant.*

Ad Att. 4, 2, 4. *Quisque horum loco sententiam rogatus multa secundum causam nostram disputavit.* Vitium vocis *quisque* sublatum est lectione marginis Cratandri *Itaque suo quisque.* Restat *horum*, quod cum, ut a Bootio intellectum est, eo nomine vitiosum sit, quod non pontifices tantum rogabantur, sed omnes senatores, mutandum est in *senatorum.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ad Att. 4, 2, 5. *Dices, quid igitur causae fuit? Dicunt illi quidem, pudorem meum: quod neque negarim neque vehementius postularim. Sed non est id; nam hoc quidem etiam profuisset.* Refelluntur ii, qui putabant, a Cicerone illiberalem possessionum aestimationem vitari potuisse, si vel oblatam rejecisset vel liberaliorem vehementius postulasset. Ad quam sententiam verba *nam hoc quidem etiam profuisset* adcommodari non posse, quippe quibus id quod res postulat, prorsus invertatur, viderunt alii. Vitium tollemus scribendo: *nam hoc quidem etiam [nocuisset magis quam] profuisset.*

Ad Att. 4, 6, 1 *nullam habes propriam servitutem; communi fueris nonne.* Quid hic requiratur, vidit Klotzius, qui scripsit *communi tu eris condicione,* modo ne tempus futurum intulisset, quod post *habes* ferri nequit. Perficiemus ejus emendationem scribendo *communi uteris condicione;* cf. pro Caelio 56 *quos intellegebat non communi condicione servitutis uti, sed licentius . . . vivere.*

Ad Att. 4, 8a. *nihil venustius quam illa tua pegmata, postquam mihi sillybis libros inlustrarunt valde. Et scribas ad me velim de gladiatoribus.* Nec *valde scribas*, quod Orellius voluit nec *vale et scribas* vel *vale. Tu scribas,* quod Gronovius et Bootius, probabilitatis speciem habet. Scripsit Cicero, nisi me fallit: *inlustrarunt valde [lepide].*

Ad Att. 4, 11, 2. *Ego mecum praeter Dionysium eduxi neminem; nec metuo tamen, ne mihi sermo desit abs te opere delector.* Si quid audere licet in loco conclamato, propono *desit, si abs te accepero aliquid litterarum;* cf. 4, 15, 3 *avere te scribis accipere aliquid a me litterarum* et ad fam. 7, 32, 3 *jucundus est mihi sermo litterarum tuarum.*

Ad Att. 4, 17, 1. *Quin tu huc advolas et invisis illius nostrae reipublicae germanae.* Qui *germanae* in *germanam* mutaverunt ironiae adminiculo adhibito *germanam* idem esse voluerunt, quod dissimillimam; sed haec ironia cum non ea sit, quam Ciceroni qui sano judicio utitur facile obtrudat, quaerenda est vox, qua per se miser reipublicae praesentis status superiori ejus praestantiae opponatur, quam vocem praestabit locus qui invenitur epp. ad fam. 3, 3, 2 *quid me ista res consolatur in tantis tenebris et quasi parietinis reipublicae*, ita ut scribendum sit *illius nostrae reipublicae parietinas.*

Ad Att. 5, 3, 1. *Quid de his cogites et quando, scire velim.* Post verba *et quando,* ad quae si, ut par est, ex proximis *cogites* referemus, sententia peribit, intercidisse videtur *profecturus sis.* De profectione, quam Atticus tum meditabatur, ut certior fiat Cicero petit etiam 5, 1, 5: *reliquum est ut ante quam proficiscare mandata nostra exhaurias; scribas ad me omnia; Pomptinium extrudas; cum profecturus eris, cures ut sciam.*

Ad Att. 5, 7. *Sed tamen ut mandatum scias me curasse, quod ante, ait se Pompejus quinos praefectos delaturum novos vacationes judiciariam causam.* Hic recte mutavit Bootius verba *quot ante* in *quod dedisti.* Verba ultima quoniam adparet ad eos pertinere, qui optarent, ut Pompejus sibi vacationem quominus judiciis operam darent, concederet, quorum numerum haud parvum fuisse verisimile est, ita ad aptam sententiae formam adcommodare licet: *delaturum; novas vacationes judiciorum recusat.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ad Att. 5, 11, 6. *Nunc redeo ad quae mihi mandas: in praefectis excusatio iis, quos voles deferto.* Quid sententia hujus loci, quem olim minus recte tractavi, requirat, vidit Gronovius conlatis locis 5, 21, 10 *praefecturam petivit; negavi me cuiquam negotianti daturum* et 6, 1, 4. Verba ita refingere licet: *nunc redeo ad quae mihi mandasti; praefectos exceptis negotiatoribus quos voles deferto.*

Ad Att. 5, 13, 3. *deinde exhauri mea mandata; maximeque, si quid potest, de illo domestico scrupulum, quem non ignoras; dein de Caesare.* In his verbis constituendis inde proficiscendum est, quod adjectivum *domestico* aliquo modo cum substantivo *scrupulum* consocietur necesse est. Jam ne scribamus, quod alii voluerunt, *exime* vel *evelle domesticum scrupulum* prohibent verba *dein de Caesare,* quae cum ad antecedentia *exhauri mea mandata* referenda sint, nihil restare video nisi ut proxima quoque hac eadem constructione complectamur scribendo *de illo domestico scrupulo.* (Scripsisse ita jam Ursinum, nunc cognovi ex novissima Baiteri editione.)

Ad Att. 5, 16, 3. *Mehercule etiam adventu nostro reviviscunt justitia, abstinentia, clementia tui Ciceronis: itaque opiniones omnium superavit.* Hic nec *etiam* sanum esse nec *adventu nostro* et *tui Ciceronis* recte una sententia conjungi intellexit Bootius; idem viam emendandi significavit majore interpunctione post *reviviscunt* posita. Cetera ita mutanda esse videntur: *Mehercule civitates adventu nostro reviviscunt. Justitia, abstinentia, clementia tui Ciceronis opiniones omnium superavit.* Vox *itaque* inrepsisse videtur ex proximo enuntiato: *itaque incredibilem in modum concursus fiunt.* Ceterum cf. 5, 21, 5 *nos . . . vicimus omnes . . . cum abstinentia, tum justitia, facilitate, clementia;* 6, 2, 4 *ita multae civitates . . . levatae sunt; omnes . . . revixerunt.*

Ad Att. 5, 18, 2. *Tuto consedimus, copioso a frumento, Ciliciam prope conspiciente, expedito ad mutandum loco; parvo exercitu, sed, ut spero, ad benevolentiam erga nos consentiente; quem nos Dejotari adventu cum suis omnibus copiis duplicaturi eramus.* Hic primum non possum non dubitare de veritate verborum *ad mutandum.* Si locus tutus erat idemque copiosus a frumento, sane nihil opus erat de eo mutando cogitare. Immo, ut paulo post invenitur, aut ipso loco se defendere aut occasione oblata manus conserere in animo habebat Cicero. Quod duplex consilium hic quoque indicabitur, si scribemus nulla fere mutatione: *expedito ad dimicandum.* Paulo post *nos* ante *Dejotari,* quod, cum nullo pondere efferatur, tolerari nequit, delendum est. Inlatum est voce *nos* ante *consentiente.*

Ad Att. 5, 19, 2. *Filiolam tuam tibi jam Romae jucundam esse gaudeo.* Quoniam nec Romae tantum filia Attico jucunda erat nec illo tempore demum, quo quintum aetatis annum agebat, jucunda fieri coepit, verba *jam Romae* sana esse nequeunt. Veri inveniendi viam praeivit Orellius conjectura postea ab ipso spreta *tantopere;* nos lenissima mutatione scribemus *tam [ca]ram ac jucundam;* cf. Brut. 10; pro Cluentio 202; de or. 2, 304; 4 Cat. 11; 16; Q. Cic. de pet. cons. 16, quibus locis omnibus duo illa adjectiva conjunguntur.

Ad Att. 5, 20, 7. *At te Romae non fore! Sed est totum, quod Kal. Martiis futurum est.* Satis mirari non possum, quod Bootius in alia omnia abire maluit quam ea quae ipse ad

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sententiae integritatem desideravit *in eo* post *totum* adjicere. Cf. praeter locum ad Q. fr. 3, 1, 1 ab ipso adlatum ad Att. 2, 22, 5 *sed totum est in eo, si ante, quam ille ineat magistratum* et 13, 32, 1 *in eo enim totum est positum id quod cogitamus.*

Ad Att. 6, 1, 8. *Flens mihi meam famam commendasti. Quae epistula tua est, in qua mentionem non facias?* Ultima verba quae Mediceus ita exhibet: *in qua mentionem facias* non recte in editionibus constituta sunt. Et genetivus deest, ad quem *mentionem* referatur, nec particula *non* in duplici negatione, quae pro adfirmatione est, verbo adhaerere solet. Itaque scribendum est *in qua [non ejus] mentionem facias.*

Ad Att. 6, 1, 15. *itaque curo et satisfacio adhuc omnibus. Curo* hic minus etiam, quam loco, quem supra tractavimus, explicari potest. Scribendum est *cura et [diligentia] satisfacio adhuc omnibus,* nisi quod pro diligentia etiam aliud similis notionis vocabulum ponere licet. Cf. 5, 3, 3 *nostra continentia et diligentia esse satis faciemus satis,* quo loco prius *satis* delendum est, in voce *esse* fortasse latet *νεμέσει,* ut est 5, 20, 6 *laboras ut etiam Ligurino μώμῳ satisfaciamus.*

Ad Att. 6, 1, 16. *si illa jam habent pleno modio, verborum honorem, invitationem crebram.* Dixerat Cicero, se publicanos ita tractare, ut, cum eos verbis et obsequio coleret, efficeret tamen, ne cui molesti essent neve Graecos nimiis oneribus premerent. Hoc ipsum, quod ei maxime curae erat, si adsequebatur, cetera officia, quibus illi admodum gaudebant, libenter iis concedebat. Ad quam sententiam verba *si illa jam habent* adcommodabimus, si scribemus *sibi illa jam habeant:* cf. ad Att. 14, 20, 2 *jam vel sibi habeat nummos.*

Ad Att. 6, 1, 22. *Filiola tua gratum mihi fecit, quod tibi diligenter mandavit, ut mihi salutem adscriberes; gratum etiam Pilia, sed illa officiosius, quod mihi, quem jam pridem numquam vidit.* Verba *jam pridem* et *numquam* prorsus inter se pugnare quoniam adparet, alii *jam pridem* secluserunt, alii voci *numquam* substituerunt *nusquam.* Sed Piliam re vera tum nondum visam esse a Cicerone cum eluceat ex 5, 19, 1, *numquam* mutare nefas sit; *jam pridem* autem quomodo inrepere potuerit, vix quisquam dicet. Jam cum ipsa significatio duorum vocabulorum doceat, ea contrarie inter se referri, restat ut hanc relationem contrariam perficiamus scribendo *quem [amat] jam pridem, numquam vidit.*

Ad Att. 6, 2, 1. *Et respondebo primum postremae tuae paginae, quae mihi magnae molestiae fuit, quod ad te scriptum est a Cincio de Statii sermone, in quo hoc molestissimum est, Statium dicere, a me quoque hoc consilium probari. Probari autem? De isto hactenus. Dixerim me vel plurima vincla tecum summae conjunctionis optare.* Hic injuria verba *de isto hactenus* temptavit Bootius. Quod enim dicit, formula haec hactenus eos uti, qui sermoni alieno vel argumentationi finem imponant, equidem non repugno; sed hic non *haec hactenus,* sed simplex *hactenus* habemus, quod ad sequentia quoque referri, docet locus, qui invenitur de nat. deor. 1, 24, *nunc autem hactenus: mirabor eorum tarditatem* et quae sequ.

Ad Att. 6, 2, 4. *ita multae civitates omni aere alieno liberatae, multae valde levatae sunt; omnes, suis legibus et judiciis usae, αὐτονομίαν adeptae, revixerunt.* In his offendit cum inanis ejusdem sententiae iteratio, quoniam ii, quibus suis legibus et judiciis uti licet, hac ipsa re

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

αὐτονομίαν adipiscuntur, tum quod participia *usae* et *adeptae* non eadem temporis notione continentur, tum denique quod omnino mirum est illas civitates imperio Romano subjectas dici *αὐτονομίαν* adeptas esse. Quibus omnibus difficultatibus medebimur, si id quod Mediceus habet *judiciis sue αὐτονομίαν* mutabimus in *judiciis visae αὐτονομίαν*. Nimirum non adeptae erant *αὐτονομίαν* illae civitates, sed adeptae esse sibi videbantur, ut est 6, 1, 15 de Graecis Asiam incolentibus: *Tamen se αὐτονομίαν adeptos putant.*

Ad Att. 6, 6, 4. *At nunc Caelius; non dico equidem, quod egerit, sed tamen multo minus laboro.* Hic ubi agitur de Caelio quaestore, quem cum meliorem non haberet, fratrem autem pluribus de causis nollet, provinciae praefecerat Cicero, verba codicis *quod egerit* solo *quod* in *quid* mutato sanata esse, non credo Bootio. Quod enim arbitratur, significare Ciceronem se non inquirere in ea quae Caelius prius egerit, cum ejus famam non curet, et tacite voci *dico* substituit aliam nec explicavit quomodo cum tali sententia verba *sed tamen multo minus laboro* conveniant. Atque haec ipsa verba si spectamus, adparet, in proximis superioribus id contineri necesse esse, quo significet scriptor, etiamsi multo minus laboret homine illo praefecto quam si fratrem praefecisset, non tamen omni cura et sollicitudine se esse liberum. Quod adsequemur scribendo: *non dico equidem: quod [bene] eveniat*, quod est hominis securi et fortunae fidentis.

Ad Att. 7, 3, 2. *Quodsi ista nobis cogitatio de triumpho injecta non esset, quam tu quoque adprobas, ne tu haud multum requireres illum virum, qui in VI libro informatus est. Quid enim tibi faciam, qui illos libros devorasti. Quin nunc ipsum non dubito rem tantam abjicere, si id erit rectius.* Cum Cicero haud ignoret, cupiditatem suam triumphi adipiscendi non eam esse quae conveniat viro omnia sola virtute metienti, qualem ipse in sexto libro de republica proposuerat, peccatum, quod ipse adgnoscit, amicum eo minus celaturus est, quo is saepius et adcuratius libros illos legerat. Quam ipsam sententiam verbis *quid enim tibi faciam* contineri intellexerunt qui *faciam* mutarunt vel in *taceam* vel in *infitier*. Manum scriptoris, nisi fallit, adsequemur scribendo: *Quid enim [fucum] faciam?* cf. Quint. de pet. cons. 35 *Jam illud teneto diligenter, si eum, qui tibi promiserit, audieris fucum, ut dicitur, facere, aut senseris, ut te id audisse aut scire dissimules.*

Ad Att. 7, 5, 4. *Non enim boni, ut putant, consentiunt.* Hic ut reponamas quod in consuetudinem Tullianam maxime conveniat, scribemus *ut putaram*; cf. 7, 18, 1 *ita putaram*; 7, 3, 5 *quos plures esse intellego quam putaram*; 12, 23, 1 *putaram te aliquid novi ... scripturum*; ad fam. 15, 16, 3 *metuo ne plus nervorum sit quam ego putaram*; de off. 1, 81 *nec committere, ut aliquando dicendum sit: non putaram.*

Ad Att. 7, 6, 2. *Est illa quidem postulatio opinione valentior.* Quomodo postulatio Caesaris opinione valentior, in qua voce nec impudentiae nec nimiae cupiditatis notio inest, dici possit, non intellegitur. Scriberem *impudentior*, ut scriptum invenimus 7, 17, 1 *praesertim cum impudentissime postularit*, nisi etiam facilior emendatio praesto esset *violentior*; cf. de fin. 5, 72 *atque ut hoc vere dicitur parva esse ad beate vivendum momenta ista corporis com-*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

modorum, sic nimis violentum est nulla dicere; in Vat. 15 *si jam violentior aliqua in re C. Caesar fuisset.*

Ad Att. 7. 10. *Gnaeus noster quid consilii ceperit capiatve nescio, adhuc in oppidis coartatus et stupens.* Vocem *coartatus* perversam esse demonstravit Bootius. Vitium tollemus scribendo *consternatus.*

Ad Att. 8, 6, 3. *Spero etiam quoniam adhuc nihil nobis obfuit, nihil mutasset nec tegentia hoc quod cum fortiter et diligenter tum etiam mehercule. Modo enim audivi quartanam a te discessisse.* Recte perspexit Bootius, in *mutasset nec tegentia* latere *nisi levitas et neglegentia.* Totus locus ita refingendus esse videtur: *Spero etiam, quoniam adhuc nihil nobis obfuit nisi levitas et neglegentia, hoc, quod cum fortiter et diligenter tum etiam prudenter factum est, melius eventurum. Audivi quartanam a te discessisse.* Cf. 10. 18, 3 *ipse conficior, venisse tempus, cum jam nec fortiter nec prudenter quidquam facere possim* et 9, 5, 2 *praesentisque temporis cognoscens temeritatem ignaviam neglegentiam.*

Ad Att. 8, 14, 1. *Omnino intellego nullum fuisse tempus post has fugas et formidines, quod magis debuerit mutum esse a litteris.* Is qui litteras non scribit, mutus esse dici potest, tempus non item, praesertim adjuncta praepositione. Scribendum est *vacuum*, cf. Brut. 272 *nullum tempus illi umquam vacabat aut a forensi dictione aut a commentatione domestica;* 309.

Ad Att. 8, 14, 1. *Eo modo autem ambulat Caesar et iis diariis militum celeritatem incitat, ut timeam, ne citius ad Brundusium, quam opus sit, accesserit. Diariis* quin hic ineptum sit, dubitari nequit; sed ne *dictis* quidem, quod Peerlkampius invenit, placet, quoniam nemo non quaeret, quaenam illa dicta fuerint, notio autem promissorum, quae sane huic loco conveniret, solo dictorum vocabulo significari non possit. Jam cum Mediceus habeat *ecusdiaris* scribendum esse videtur *ejusmodi artibus.* In eadem epistula § 3 verba *de Domitio — accessisse* attrectare non audeo; quae sequuntur *quod item falsum video esse* vera esse nequeunt, quoniam de nulla alia re dixit Cicero, quam falsam esse viderat. Itaque aut *utrumque* scribendum est, aut quod malim *jam tamen,* quae duae voces conjunguntur etiam ad Att. 8, 15, 2 *quae me convellerunt de pristino statu, jam tamen . . . labantem;* 7, 13, 5 *jam intellexi tamen;* Brut. 70 *nondum Myronis satis ad veritatem adducta, jam tamen quae non dubites pulchra dicere.* In proximis *aut enim Lepidus eum nescio quo penetrasse itineribus; occultandi sui causa an maris apiscendi, ne is quidem scit* unice verum vidit Lambinus conjiciendo *itineribus [deviis];* cf. ad Att. 4, 4, 4 *Metellus cum prima luce furtim in campum itineribus prope deviis currebat;* ad Att. 14, 10, 1 *ut Trebonius itineribus deviis proficisceretur in provinciam.* Mureti enim inventum *itineris* sive ad sequentia refertur, inepte componuntur itineris occultatio et maris adeptio, sive ad superiora, admodum dubito, num Ennianum illud *quo se reflexere viai* satis sit ad dictionem *nescio quo itineris* tuendam.

Ad Att. 8, 16, 2. *Demum quem exspecto. Et quidem cum haec scribebam, IV Nonas jam exspectabam aliquid a Brundisio. Quid autem aliquid? quam inde turpiter fugisset et victor hic qua se referret et quo.* In verbis primis emendandis proficiscendum est a particulis *et quidem,*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quibus proxima superiora confirmari adparet. Atqui cum in iis, quae sequuntur, de turpi Pompeji fuga et de Caesaris victoris adventu, quo nihil magis Cicero timebat, sermo sit, non sine probabilitate conjicere licet scribendum esse: *Formido nuntium, quem exspecto.*

Ad Att. 9, 2a, 2. *Sin cum potuero non venero, tum erit inimicus.* Quod Bootius vocem *jure* ad sententiam sane necessariam in voce *tum* latere putat, facilius scribemus *tum [merito] erit inimicus.*

Ad Att. 9, 10, 2. *Sicut ἐν τοῖς ἐρωτικοῖς alienantur immunde insulis unde decore fit sic me illius fugae neglegentiaeque deformitas avertit ab amore.* Hinc Victorius effecit *alienant immundae insulsae, indecorae, sic,* quem ita sequendum esse censeo ut scribatur: *alienant [virum] immundae* etc.

Ad Att. 9, 13, 3. *Nihil me adjuvit, cum posset; et postea fuit amicus etiam valde; ecquam ob causam, plane nescio. Et* recte seclusit Bootius; sed ne *ecquam* quidem, pro quo Mediceus habet *et quam* sanum est, quoniam unam aliquam causam fuisse Pompejanae amicitae, sane praeterire Ciceronem non potuit. Itaque scribemus *quam ob causam, plane nescio.* Paulo post verba *mihi tamen, quod fecit, gratissimum; nec ego nunc, eum juvare qua re possim, scio* ita demum Tullianam elegantiam recipient, si post *gratissimum* adjecerimus *fecit,* quod ante *nec* facile intercidere potuit.

Ad Att. 9, 15, 4. *Mandata Caesaris ad consules et ad Pompejum, quae rogas, nulla habeo; et descripta attulit illa e via misi ad te ante, e quibus mandata puto intellegi posse.* Corruptelam horum verborum qui sanare posse sibi visi sunt L. Caesare inferendo, quem mandata Caesaris ad Pompejum detulisse 7, 14 narratur, nihil profecerunt. Ut enim omittam, illum mense Januario missum esse, hanc epistulam esse scriptam mense Martio, e Ciceronis verbis *e quibus mandata puto intellegi posse et mandata — nulla habeo,* adparet, ipsum rumorem de ejusmodi Caesaris mandatis pervulgatum refutari. Ut locus rectius constituatur, primum vox *ante,* quam Mediceo omissam temere intulerunt editores, cum Baitero ejicienda est, reliqua ita scribenda esse videntur: *et Pedio scripta [et quae] adtulit ille Baebius misi ad te.* Epistulam a Caesare ad Pedium datam legimus 9, 14, 1; ibidem inveniuntur quae Baebius narraverat. Et ex epistula illa et ex hujus sermonibus perspicere poterat Atticus, mandata de pace a Caesare non jam exspectari posse, ut dicit l. c. Cicero epistula illa descripta: *ubi est illa pax, de qua Balbus scripserat torqueri se? ecquid acerbius? ecquid crudelius?*

Ad Att. 9, 18, 3. *inde exspecto equidem λαλαγεῦσαν illam tuam.* Hic *inde* ferri non posse vidit Bootius. Scribendum esse videtur *valde,* cf. §. 4 *valde tuas litteras nunc exspecto* et 10, 1, 2, ubi Orellius *meum de tenes* recte in *valde tenes* mutasse videtur.

Ad Att. 10, 1, 3. Hic in verbis *dum oratores eant redeant* prorsus immerito et contra consuetudinem Tullianam Bootium et Baiterum copulam ab Ernestio positam, ab Orellio omissam revocavisse, ostendit Phil. 2, 77 *celeriter isti redisti* et 89 *cum ceteri consulares irent redirent;* cf. etiam ad Att. 15, 11, 4 *Aveo genus legationis, ut, cum velis, introire exire liceat;* 15, 5, 3 *Quis porro noster itus reditus, vultus incessus inter istos?* Hor. epp. 1, 7, 55 *It redit et narrat.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Paulo post in verbis *quare si quid ejusmodi evenerit, ut arcessamur — quod equidem non curo; quid enim essem de pace dicturus, dixi; ipse valde repudiavit* — mendosum est *non curo*, quoniam non, sua non interesse se arcessi, Cicero dicere potest, sed improbabile sibi videri, quod sua de pace consilia tam vehementer a Caesare repudiata sint. Itaque scribendum est: *quod equidem non puto.*

Ad Att. 10, 8, 4. *Annival dehic in absentis solus tuli scelus? ejusdem cum Pompejo et cum reliquis principibus non feram?* Formam totius sententiae cum praecepisset Madvigius, in verbis emendandis multa moliti sunt interpretes. Atque Bootius quidem cur *scelus* in posteriorem sententiae partem detruserit, non intellegitur. Quod enim dicit, sceleri furorem vel simile quid opponendum fuisse, cardo rei vertitur in voce *solus;* remanserat Cicero in Italia, quamquam a Caesare omnia ei timenda erant; in Graeciam si transiisset et cum Pompejo se conjunxisset, videbatur sibi multo facilius illius scelus laturus esse. Itaque hoc quidem nomine Hofmannus rectius sententiam constituisse censendus est cum scripsit: *An invadentis in absentis solus tuli scelus?* Sed verba *invadentis in absentis* nec per se intelleguntur, quoniam Caesar non tantum in absentes vel in hos potissimum invasit, et hic, ubi de solo Cicerone ejusque periculis agitur, omnino perversa sunt. Scribendum esse videtur: *An tam valde hic saevientis solus tuli scelus?*

Ad Att. 10, 10, 3. *Omnino excipiam hominem. Erat autem V. Non. venturus vesperi, id est hodie. Cras igitur ad me fortasse veniet. Temptabo, audeam; nihil properare, missurum ad Caesarem clamabo me.* Antonius cum Ciceroni per litteras petenti, ut sibi Italiam relinquere liceret, magna cum acerbitate respondisset et ad Caesaris arbitrium rejecisset, jam ille, cum eum ipsum ad se venturum esse audivisset, aliam viam ingressus consilium dissimulare et quam vehementer fugere cuperet, prorsus occultare constituit. Hanc ipsam verae sententiae dissimulationem verbis *temptabo audeam* expressam fuisse cum verisimile sit, scribemus: *Temptabo fraude eum.*

Ad Att. 10, 14, 2. *Quamobrem quidquid habes ad consolandum, collige et illa scribe.* Vox *illa* post *quidquid habes ad consolandum*, quae non minus ad *scribe* quam ad *collige* pertinent, prorsus vitiosa delenda est.

Ad Att. 11, 6, 3. *Sed ingero praeterita. Vide quaeso igitur ea quae restant.* Pro verbis *non ingero* olim conjeceram *non integra;* nunc Bootium conjicientem *sed urgeo* ita sequendum esse censeo ut scribatur *sed in[tellego me ur]gere praeterita.*

Ad Att. 11, 7, 1. *Gratae tuae mihi litterae sunt, quibus accurate perscripsisti omnia quae ad me pertinere arbitratus est ea factum igitur ut scribis istis placere iisdem istis lictoribus uti quod concessum Sestio sit; cui non puto suos esse concessos, sed ab ipso datos.* Haec ut probabiliter emendentur, tenendum est, ut alii viderunt, *factum* ferri non posse cum infinitivo conjunctum, deinde voce *istis* significari Balbum et Oppium. Scripsisse autem ita fere videtur Cicero: *arbitratus es. Perspectum igitur, ut scribis, istis placere totidem lictoribus me uti, quot concessum Sestio sit.* Alterum *istis* superiore iterato ortum esse videtur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ad Att. 11, 8, 2. *Ad quos videbitur, velim cures litteras meo nomine.* Litteras ad aliquem curare cum non sit Tullianum, scribendum est *cures litteras [dandas] meo nomine*, quemadmodum invenitur 11, 7, 7 *quod litteras quibus putas opus esse curas dandas, facis commode;* cf. etiam 12, 17, 1 *iis velim meo nomine reddendas litteras cures;* 14, 16, 4 *et velim cures epistulam, quam ad eum misi, reddendam.*

Ad Att. 11, 14, 3. *Et advideo tamen te exspecto quem videre si ullo modo post enim res pervelim.* Hic primum Bootius a Graevio, qui correxit *si ullo modo potest — poscit enim res — pervelim* recedere non debebat, deinde in verbis *et advideo* latere necesse est quo *tamen* referri possit, ita ut scribendum esse videatur *Et[si, quid impedi]at, video, tamen te exspecto;* cf. 11, 17, 3 *te justa causa impediri quominus ad nos venias video; idque mihi valde molestum est;* 13, 28, 3 *nisi quid te aliud impediet, mi optato veneris;* 13, 2, 2 *Cum poteris ergo. Etsi impediet fortasse Faberius.*

Ad Att. 12, 5, 4. *Cum Romae essem et te jamjamque visurum me putarem, cotidie tamen horae quibus exspectabam longae videbantur.* Hic si *cotidie* non esset additum, difficultas esset nulla et conferre liceret Hor. epp. 1, 1, 20 *Ut nox longa quibus mentitur amica, diesque Longa videtur opus debentibus.* Nunc *longae* necessario, si quid video, mutandum est in *longiores*, quod ipsum suadere videtur Medicei auctoritas, qui habet *longas.*

Ad Att. 12, 37, 4. *Quare etiam Othonem vide.* Petierat Cicero ab Attico, ut ad Scapulae hortos ipsi parandos Othonem, qui unus ex heredibus illius erat, conveniret, praeter Othonem nominaverat neminem. Unde adparet, *etiam* ferri non posse; quid verum sit, ostendunt verba, quae paulo ante inveniuntur: *Quare antequam discedis, Othonem, si Romae est, convenias pervelim.* Nimirum *pervelim* illud hic quoque reddemus scribendo *etiam [atque etiam] vide;* cf. 13, 19 *etiam atque etiam videbis.* Paulo ante in verbis *tu mihi de Caninii naufragio quasi dubia misisti* dubitari nequit quin vere scripserit Manutius *quasi dubia [re] misisti.*

Ad Att. 12, 45, 2. *Nam ceteroqui ἀνεκτότερα erant Asturae; nec haec, quae refricant, hic me magis angunt. Etsi tamen, ubicumque sum, illa sunt mecum.* Pertinent haec ad Ciceronis in Tusculanum se conferendi consilium, quod in superioribus epistulis saepe jam ostenderat, ubi quamquam acerba Tulliae memoria multo magis se affectum iri praevidebat, tamen animum vincere constituerat. Itaque primum cum Schuetzio scribendum est *angent*, totus locus autem constituendus est: *Nam cetera, quae ἀνεκτότερα erant Asturae, nec aeque refricabant, hic me magis angent.* Ceteris, quibus Asturae dolorem minus refricari quam in Tusculano dicit, ipsa Tulliae memoria significatur.

Ad Att. 12, 46. *nam dolor idem manebit, tantum modo octius.* In his latere videtur *tantum modo tectius.*

Ad Att. 13, 25, 3. *Sed tamen ego non despero, probatum iri Varroni; et id, quoniam impensam fecimus in macrocolla, facile patior teneri.* Verba *probatum iri* cum ad libros Academicos referantur, quos Cicero Varroni missurus erat, admodum dure infertur *id*, quo consilium mittendorum illorum librorum editores significari volunt. Quae significatio etiamsi ferri posset,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quod nego, restaret tamen alterum vitium vocis *et*. Atticus enim cum de libris illis Varroni tradendis etiamtum dubitaret, id enuntiatum, quo Cicero ipse se sperare, eos illi placituros esse, profitetur et alterum illud, quo moram mittendi se non aegre ferre adfirmat, particula *et* conjungi nequeunt. Omnia plana erunt, si verba *et id* mutabimus in *etsi*.

Ad Att. 13, 30, 3. *Volo aliquem Olympia aut ubi visum πολιτικὸν σύλλογον, more Dicaearchi, familiaris tui.* Verba *Olympia aut ubi visum*, quae vitiosa esse Lambinus intellexit, Bootius ita emendavit: *Olympicum aut Isthmicum.* Codicis apices melius reddemus scribendo *Olympicum aut Lesbiacum;* confer de Dicaearcho, quem imitari Ciceroni propositum est, locum, quem ipse adtulit Bootius Tusc. 1, 77 *Is enim tris libros scripsit, qui Lesbiaci vocantur, quod Mytilenis sermo habetur, in quibus volt efficere, animos esse mortalis.*

Ad Att. 14, 13, 2. *Quemcumque enim haec pars perditorum laetatum Caesaris morte putabit . . . hunc in hostium numero habebit. Pars* vitiosum est, cum nec una pars perditorum alteri opponatur nec *pars* idem valere quod *partes* vel adjectum *haec* ostendat. Scripsit Cicero *haec caterva perditorum* similiter ac 9, 18, 2 *quae caterva scelerum,* quo loco cum olim alia temptassem nunc verum vidisse Kappeyne van de Coppello libenter fateor.

Ad Att. 14, 18, 2. *De Patulciano nomine, quod mihi suspendiatus est, gratissimum est et simile omnium tuorum.* Non sanavisse hunc locum vel eos, qui cum correctore Medicei scripserunt *suppeditatus es* vel Montagnanum, qui *suppetiatus es* conjecit, quoniam utrumque verbum, quod intulerunt, a Cicerone abjudicandum est, recte censuit Bootius. Qui quod verum esse putavit *suppeditavisti*, sane hoc ferremus, nisi codicis scriptura ita prorsus neglegeretur. Equidem in voce importuna *suspendiatus* latere puto *cum impendio solutum.*

Ad Att. 14, 20, 2. *De tuo autem Buthroto, cum in Pompejano essem, Misenum venit Antonius; inde ante discessit quam illum venisse audissem; a quo in Samnium. Vide quid speres. A quo* ferri non posse Wesenbergius cum vidisset, conjecit: *audissem, in Samnium. A quo vide quid speres.* Sed quo Antonius discessisset nec omnino attinuit commemorare hic, ubi hoc unum agit Cicero, ut de causa Buthrotia eum a se conveniri non potuisse ostendat neque commemoravit altero loco 15, 1, 2, ubi de eadem re ita scribit: *De Antonio jam antea tibi scripsi non esse eum a me conventum. Venit enim Misenum, cum ego essem in Pompejano, inde ante profectus est, quam ego eum venisse cognovi.* Quae cum ita sint, scribendum esse videtur: *audissem, a quo insanienti vide quid speres.*

Ad Att. 15, 8, 2. *Graecejus ad me scripsit, C. Cassium sibi scripsisse, homines comparari, qui armati in Tusculanum mitterentur. Id quidem mihi [vix] videbatur; sed cavendum tamen ut ille que plures videndae.* Corruptelam ultimorum verborum tollemus scribendo *vigiliaeque plures videndae.*

Ad Att. 15, 12, 2. *Marcellus praeclare, si praecipit nostro nostri.* In his latere videtur: *si praecipit salutaria nostris.* Nostri sunt Brutus et Cassius, qui paulo ante nostri ἥρωες vocantur, et Marcellus praeclare agere dicitur, si Octaviano ea praecipiat, quae his saluti sint vel ut aliis verbis utar, si ei praecipiat, ut saluti eorum consulat.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ad Att. 15, 25. *Et tu etiam scire, quo die olim piaclum.* Verba *Et tu etiam scire,* Bootius sine probabilitate mutavit in *Id tu etiam scribes;* et lenius et ad Tullianam consuetudinem aptius est *Velim etiam scire;* cf. 12, 3, 1; 12, 14, 2; 12, 28, 3; 12, 48; 13, 20, 1; 15, 26, 1.

Ad Att. 15, 29, 1. *Quod non solum mea verum etiam tua me expedis, gratum.* Hic deesse id, quo referantur voces *mea* et *tua,* adparet; cogitabam de *fide* inserenda, sed probabilius etiam scribetur *tua [re] me expedis.*

Ad Att. 16, 7, 2. *Sed haec, etiamsi non prudenter, tamen ἀνεμέσητα sunt; primum quod de mea sententia acta sunt, deinde, etiamsi te auctore, quid debet qui consilium dat, praestare praeter fidem?* Adverbium *prudenter* cum nec pro adjectivo esse possit nec interpositis illis *tamen ἀνεμέσητα sunt* referri ad proxima *acta sunt,* scribendum est: *prudenter [acta] tamen.*

Ad fam. 1, 9, 20 *repentinam ejus defensionem Gabinii, quem proximis superioribus diebus acerrime oppugnasset.* Hic Cobeti judicium, qui vocem *superioribus* uncinis inclusit, injuria secutum esse Baiterum, docent loci qui inveniuntur de nat. deor. 2, 53 *huic autem proximum inferiorem orbem tenet Πυρόεις* et or. 216 *adjungo . . . proximum superiorem* a Nipperdejo ad Tac. ann. 1, 77 adlati, ad quorum similitudinem, nisi me fallit, adcommodandus est is, quem editores intactum reliquerunt, de nat. deor. 3, 54 *tertiae* (Musae) *Piero natae et Antiopa, quas Pieridas et Pierias solent poetae appellare, isdem nominibus et eodem numero quo proxime superiores,* ita ut ibi quoque scribendum sit *proximae superiores.*

Ad. fam. 3, 4, 1. *quod egomet multis argumentis jam antea judicaram maximeque illo libro augurali, quem ad me amantissime scriptum suavissimum misisti.* Hic cum recte intellexisset Martyni-Laguna *amantissime* pertinere ad misisti, et *suavissimum* mutandum esse in *suavissime,* quod ad *scriptum* referretur, immerito tamen ordinem verborum mutavit. Novissimi editores codicum scripturam securi transierunt.

Ad fam. 3, 9, 2. *Longi subsellii, ut noster Pompejus appellat, judicatio et mora si quem tibi item unum alterumve diem abstulerit — quid enim potest amplius — tua tamen dignitas suum locum obtinebit.* In his, ubi de triumpho agitur, quem a senatu Appio decretum iri Cicero sperat, cum ad eas res, de quibus senatus consulitur, judicationis vocabulum adhiberi vix possit et requiratur quod moram illam longi subsellii acrius ac melius significet, vide ne scribendum sit *ludificatio et mora,* cf. pro Sest. 75 in re simili *cum omni mora ludificatione calumnia senatus auctoritas impediretur;* pro Milone 54 *morae et tergiversationes.*

Ad fam. 5, 9, 1. *Peto a te ut tuam consuetudinem et liberalitatem in me absente defendendo mihi praestes.* Tulerunt hic editores consuetudinem et liberalitatem juxta posita, cum in loco qui invenitur 15, 1, 3 *quique nostram consuetudinem integritatemque perspexerant,* a Ferratio via monstrata, praeter Klotzium omnes *consuetudinem* in *mansuetudinem* mutavissent. Sed ea est locorum illorum similitudo, ut divelli nequeant et aut neutri aut utrique mutatio illa sit adhibenda. Atqui cum in Ciceronis provinciae administratione describenda saepius mansuetudo ejus commemoretur, id quod monuit Baiterus, idque argumentum in loco ab editoribus mutato

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

accedat ad incommoditatem, qua verborum illorum conjunctio per se laborat, non dubito, quin idem librariorum error utroque loco adgnoscendus sit.

Ad fam. 5, 17, 4. *Sed tamen prudentissime facies, si illius pietatem virtutem industriam ubicumque eris, tuam esse tecum esse duces; nec enim minus nostra sunt quae animo complectimur quam quae oculis intuemur.* Hic *tecum esse* si recte se haberet, sequi deberet non *nostra sunt* sed *nostra sunt nobiscum sunt*, neque incommodum illud vitavit Martyni-Laguna, qui verbis *tecum esse* ante *tuam esse* positis contendit, ut haec ad *nostra sunt*, ita illa ad *ubicumque eris* referri, quoniam hoc ipsum dicit Cicero, ubicumque simus, etiamsi ea, quae loco mutato nobis erepta esse videantur, oculis intueri nequeamus, nostra tamen esse, modo ea animo complectamur. Itaque verba *tecum esse* ut additamentum librarii delenda sunt.

Ad fam. 5, 21, 2. *Ego sum qui nullius vim plus valere volui quam honestum otium; idemque cum illa ipsa arma, quae semper timueram, plus posse sensi, quam illum consensum bonorum, quem ego idem effeceram, quavis tuta condicione pacem accipere malui, quam viribus cum valentiore pugnare.* Tuta condicio pacis cum omni bello praeferenda sit, non modo ei, cujus exitus timetur, Cicero hic, ubi ei propositum est ostendere, quantopere a bello isto abhorruerit, dicere nequit se tutam nedum quamvis tutam condicionem pacis accipere paratum fuisse. Mendum, quod latet, si quis ita sanare posse sibi videatur, ut *tuta* deleat, sane nihil illa voce sublata desideretur, sed aliud verum esse ostendunt hi loci: 6, 4, 4 *in quo prima illa consolatio est, vidisse me plus quam ceteros, cum cupiebam quamvis iniqua condicione pacem;* 6, 6, 5 *quid ego praetermisi aut monitorum aut querellarum, cum vel iniquissimam pacem justissimo bello anteferrem;* 7, 3, 6 *qui si me audissent, quamvis iniqua pace honeste tamen viverent;* ad Att. 8, 11 D 6 *mea quae semper fuerit sententia primum de pace vel iniqua condicione retinenda, deinde de urbe . . . meminisse te arbitror.* Ad quorum locorum similitudinem hic quoque scribendum est: *quamvis iniqua condicione.*

Ad fam. 6, 1, 5 *sero enim nos iis armis adversari videbam, quae multo ante confirmata per nosmet ipsos erant dolebamque pilis et gladiis non consiliis neque auctoritatibus nostris de jure publico disceptari.* Disceptare cum non unius partis sit sed utriusque, *nostris* autem ad Pompejanos tantum referri posse verba proxima *nos* et *per nosmet* ostendant, *nostris* delendum est; cf. 4, 14, 2 *quanto periculo de jure publico disceptaretur armis;* ad Att. 8, 11 D 8 *ego condicionibus . . . illi armis disceptari maluerunt.*

Ad fam. 8, 17, 2. *Vos dormitis neque adhuc mihi videmini intellegere quam nos pateamus et quam simus imbecilli.* *Pateamus* quod vereor, ne ad exemplum loci Tulliani de off. 1, 75 *in philosophorum vita minus multa patent, quae fortuna feriat,* explicari nequeat, mutandum esse videtur in *jaceamus;* cf. Acad. 2, 79; 105; 134; de fin. 2, 44; 117, et saepe.

Ad fam. 10, 24, 3. *Quod consilium nostrum, etsi, quanta sit aviditas hominum non sine causa talis victoriae, scio, tamen vobis probari spero.* Vocem *talis* in museo Rhen. 12, p. 268 mutavi in *fatalis;* jam video, eam prorsus esse delendam, quippe quae ex proximis superioribus verbis *ut . . . eos talis vobis praestare possem* inrepserit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ad fam. 10, 33, 1. *tametsi tantam calamitatem reipublicae quam tardissime audire optandum est, sed illis, qui prodesse nihil possunt neque mederi.* Hic *sed*, pro quo exspectandum erat *praesertim*, delendum est.

Ad fam. 12, 14, 1. *itaque eadem superbia in pravitate utuntur.* Haec cum nec ita explicari posse videantur, ut *in pravitate* idem sit quod *qua sunt pravitate*, nec ita, ut *superbia in pravitate* sit *superbia cum pravitate conjuncta*, scribendum esse videtur *superbia ac pravitate.*

Ad fam. 14, 18, 1. *Haec autem regio, in qua ego sum, nostrorum est cum oppidorum, tum etiam praediorum; ut et multum esse mecum et, cum abieritis, commode et in nostris esse possitis.* Voces *commode* et *in nostris* male inter se aequantur, quoniam commoditatem, quam Terentiae et Tulliae ostendit, Cicero eo ipso effici significat, quod etiamsi abierint, in praediis ipsius morari possint; ita ut aut *et* delendum aut, quod malim, scribendum sit: *commode et [tuto] in nostris.*

Ad fam. 16, 8, 2. *ψῦχος δὲ λεπτῶν χρωτὶ πολεμιώτατον, inquit Euripides. Cui tu quantum credas, nescio. Ego certe singulos ejus versus singula ejus testimonia puto.* Alterum *ejus*, quod sententia respuit, quis putaverit ut superiore inlatum prorsus abjiciendum esse. Sed cum vox *testimonia* vix genetivo aliquo carere possit, scribendum esse videtur *singula dei alicujus testimonia puto*; cf. ad fam. 14, 7, 1 *statim ita sum levatus, ut mihi deus aliquis medicinam fecisse videatur*; Lael. 87 *Atque hoc maxime judicaretur, si quid tale posset contingere, ut aliquis nos deus ex hac hominum frequentia tolleret.*

Ad Q. fr. 1, 1, 30. *Qua re cura, ut hic annus, qui ad laborem tuum accessit, idem ad salutem Asiae prorogatus esse videatur; quoniam in te retinendo fuit Asia felicior quam nos in deducendo, perfice, ut laetitia provinciae desiderium nostrum leniatur.* Hic ante *quoniam* non magis particulam copulativam deesse posse quam § 2 *et quoniam ea molestissime ferre homines debent*, ubi ab editoribus addita est, neminem semel monitum praeteriturum esse persuasum habeo.

Ad Q. fr. 1, 1, 40. *Sed quoniam primus annus habuit de hac reprehensione plurimum sermonis, credo propterea, quod tibi hominum injuriae, quod avaritiae, quod insolentia praeter opinionem acciderat et intolerabilis videbatur, secundus autem multo lenior, quod et consuetudo et, ut ego arbitror, meae quoque litterae te patientiorem lenioremque fecerunt, tertius annus ita debet esse emendatus, ut ne minimam quidem rem quisquam possit ullam reprehendere.* Hic primum *avaritiae*, quod per se defendi posse non nego, cum *insolentia* conjunctum intolerabile duco, non dubito cum Manutio in *avaritia* mutare, praesertim cum Mediceus, qui hic *avaritie* habet, similiter habeat 1, 2, 3 *prudentie* et 2, 13, 1 *placentie*, quibus locis de veritate formarum *prudentia* et *Placentia* dubitari nequit. Paulo post ante *lenior* ut addatur *fuit* consuetudo Tulliana postulat.

Ad Q. fr. 2, 7, 3. *Quid multa? tenent omnia, idque ita omnes intellegere volunt.* Haec intellegi nequeunt, nisi post *ita* addimus *esse*; cf. ad fam. 2, 16, 6 *de quo mihi exploratum est ita esse ut tu scribis*; 10, 20, 2 *priusquam ita esse tu nos feceris certiores* et saepe.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ad Q. fr. 2, 10, 5. *quamquam ejusmodi frigus impendebat, ut summum periculum esset, ne Appio suae aedes urerentur.* In Medicei ductibus, cujus prima manus habet *ne appius ne edes,* altera *ne appio sue edes,* latere videtur *ne Appii consulis aedes.*

Ad Q. fr. 3, 1, 2, ubi consilium atrioli, quod in porticu fieri se velle scripserat, Quintum fratrem abjicere jubet Cicero, verba *nunc hoc vel honestate testudinis vel valde boni aestivum locum obtinebit* ita mutanda esse videntur: *nunc hoc vel honestae testudinis vel valde boni aestivi* (ita jam cum Schuetzio Kayserus) *locum obtinebit;* cf. § 14 *id nunc honeste vergit in tectum inferioris porticus.*

Q. Cic. de petit. cons. 4. *Haec cura ut teneas commendando et rogando et omni ratione efficiendo ut intellegant, qui debent tua causa, referendae gratiae, qui volunt, obligandi tui tempus sibi aliud nullum fore.* Admonet Q. Cicero fratrem, ut eorum hominum studia, quos jam antea sibi conciliaverat, ad ipsum petitionis tempus parata et prompta efficiat. In qua admonitione quae vis sit vocis *commendando,* admodum incertum est, quippe quae nec ad ipsum Ciceronem illis hominibus se commendantem nec ad homines illos aliis commendandos satis apte referri posse videatur. Atqui cum idem praeceptum § 19 ita scriptum inveniatur: *Quare hoc tibi faciendum est, hoc tempore ut ab iis quod debent exigas saepe commonendo, rogando, confirmando, curando ut intellegant nullum se umquam aliud tempus habituros referendae gratiae,* probabile fit, hic quoque legendum esse *ut teneas commonendo et rogando.*

Q. Cic. de petit. cons. 10. *qui nullum in locum tam sanctum ac tam religiosum accessit, in quo non, etiamsi aliis culpa non esset, tamen ex sua nequitia dedecoris suspitionem relinqueret.* In voce *aliis* latere videtur *sceleris,* ut Catilina loca illa sancta, quamvis scelus in iis non commisisset, dedecoris tamen suspitione polluisse dicatur; cf. 28 *sine magna culpa neglegentiae.*

Q. Cic. de petit. cons. 33. *Deinde habes tecum ex juventute optimum quemque et studiosissimum humanitatis. Tum autem emi quod equester ordo tuus est, secuntur autem illi auctoritatem ordinis, si abs te adhibebitur ea diligentia ut non ordinis solum voluntate, sed etiam singulorum amicitiis eas centurias confirmatas habeas.* Haec, quae, ut supra scripsi, in codice Erfurtensi exhibentur, ut intellegi possint, ita refingere licet *humanitatis tuum amicum, quod equester ordo tuus est. Sequentur autem illi* etc.

Q. Cic. de petit. cons. 34. *Et quoniam adsectationis mentio facta est, id quoque curandum est, ut quotidiana cujusque generis et ordinis et aetatis utare.* Cum admodum dure verba *quotidiana — aetatis* ad antecedens *adsectationis* referuntur, tum ex proximis *hujus autem rei tres partes sunt: una salutatorum, altera deductorum, tertia adsectatorum* adparet, illis non solum adsectationem, sed etiam salutationem et deductionem significari; ita ut non improbabile sit, post *utare* excidisse *frequentia;* cf. 36 *magnam adfert opinionem . . . quotidiana in deducendo frequentia;* 3 *quotidianam amicorum adsiduitatem et frequentiam;* 50 *omnium generum frequentia adsit.*

Q. Cic. de petit. cons. 44. *Benignitas autem late patet; ea* (ita Palermus pro vulgata *et)*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

est in re familiari; quae quamquam ad multitudinem pervenire non potest, tamen ab amicis laudatur, multitudini grata est. Quoniam elucet, Ciceronem dicere, benignitatem ad amicos conlatam ipsi multitudini ejus laudes ab amicis celebrari audienti gratam esse, ut sententiae ratio constet, scribendum est *ab amicis [si] laudatur.*

Acad. 1, 9. *plurimumque poetis nostris omninoque Latinis et litteris luminis et verbis adtulisti.* De Varronis scriptis, quibus antiquitates Romanas inlustravit, posteaquam Cicero dixit, transit ad curam ab eo poëtis adhibitam, denique omnes ejus laudes comprehendit et complectitur verbis *omninoque* etc. In ejusmodi igitur sententia nemo non videt, quam languidum sit *verbis* illud, etsi verba quoque explicavisse Varronem satis constat, praesertim cum ne recte quidem inter se referantur litterae et verba. Unice verum videtur quod Manutius suasit *et rebus*, quo recepto duae illae partes, quibus omnibus temporibus philologorum curae continebantur, optime significantur.

Acad. 1, 26. *Ergo illa initia et ut e Graeco vertam, elementa dicuntur: e quibus aer et ignis movendi vim habent et efficiendi; reliqua partis accipiendi et quasi patiendi, aquam dico et terram.* Hic cum codices habeant *reliquae partes*, quod dubitanter proposuit Halmius *reliqua partis*, recepit Baiterus; sed nec offendere potest, quod *accipiendi* objecto caret, quoniam *patiendi* quoque absolute ponitur, quae duo verba hic eodem modo aequiparantur atque de nat. deor. 3, 29 *nullum est eorum, quod effugiat accipiendi atiquid extrinsecus id est quasi ferendi et patiendi necessitatem* et codicum lectionem egregie confirmat locus qui invenitur Tusc. 1, 40 ubi, posteaquam ex iisdem illis elementis duo nominavit scriptor, pergit *reliquae duae partes, una ignea, altera animalis.*

Acad. 1, 27. *sed subjectam putant omnibus . . . materiam quandam . . . quae tota omnia accipere possit omnibusque modis mutari atque ex omni parte.* Adsentiri non possum editoribus, qui plerique hunc locum pro corrupto habent et conjecturis temptant. Atque ad defendendum *tota* jam adtulit Goerenzius quae leguntur § 28 *materiam ipsam totam commutari. Omnia* autem defenditur loco, qui invenitur 2, 118 *Plato ex materia in se omnia recipiente mundum factum esse censet.*

Acad. 1, 39. *Discrepabat etiam ab iisdem, quod nullo modo arbitrabatur, quicquam effici posse ab ea quae expers esset corporis.* Hic Davisius, cum intellexisset incommodissime ex antecedentibus, ubi tantum de quinta illa natura ad quattuor initia addita dictum est, naturam repeti ad verba *ab ea* explicanda, proposuit *a re ea;* simplicius scribemus *ab eo quod*, ut paulo post invenitur: *nec vero aut quod efficeret aliquid aut quod efficeretur, posse esse non corpus.*

Acad. 1, 43. *Breviter sane minimeque obscure exposita est, inquam, a te, Varro, et veteris Academiae ratio et Stoicorum; verum esse autem arbitror, ut Antiocho, nostro familiari, placebat, correctionem veteris Academiae potius quam novam aliquam disciplinam putandam.* Haec non aut *verum* aut *autem* deleto sanari, ex eo adparet, quod quovis pacto ad Stoicorum rationem ea quae

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

altero enuntiato continentur, referri, ipsis scriptoris verbis significandum erat. Itaque scribendum esse videtur *quorum esse rationem arbitror.*

Acad. 2, 2. *quaesturae diuturnum tempus Murena bellum in Ponto gerente in Asia pace consumpserat.* Immerito novissimi editores *Asia* delere maluerunt quam lenissimam Guilelmi emendationem adsciscere *in Asia [in] pace.* Qui si, ut Goerenzius, aurium offensionem veriti sunt, a simili offensione jure non abhorruerunt in loco, quem Mutherus restituit Tusc. 2, 40 *pernoctant venatores in nive in montibus.* Cf. etiam pro Fontejo 14 *dicunt qui ex agris ex Cn. Pompei decreto decedere sunt coacti.*

Acad. 2, 8. *Hoc autem liberiores et solutiores sumus, quod integra nobis est judicandi potestas nec ut omnia quae praescripta et quasi imperata sint, defendamus, ulla necessitate cogimur.* Hic quae codices habent *praescripta et quibus et quasi* Goerenzius ita explicare posse sibi visus est, ut ad *quibus* cogitando adderet *verbis,* sententiam autem hanc erueret: quae praescripta sint, et quibus verbis, et ita quasi imperata sint. Quae refellere cum sane opus non sit, novissimi editores verba *et quibus* prorsus deleverunt. Praestare videtur leni emendatione adhibita scribere *quae praescripta a quibusdam et quasi imperata sint;* cf. Tusc. 2, 5 *quod ii ferunt animo iniquo, qui certis quibusdam destinatisque sententiis quasi addicti et consecrati sunt.*

Acad. 2, 13. *Repetunt ii a P. Valerio . . . commemorant hos reliquos . . . tum ad hos notiores.* Miror Goerenzii confidentiam, qui contra Davisium *ad* sollicitantem haud dubitanter pronuntiaverit, saepe ita locutum esse Ciceronem, exempla adferre supersederit. Intercidisse post *tum veniunt,* loci docere possunt quales sunt Acad. 2, 42 *tum perveniunt ad eam partem* et 144 *deinde ad illa veniam,* maxime qui simillimus est Tusc. 1, 116 *Repetunt ab Erechtheo . . . veniunt inde ad propiora.*

Acad. 2, 32. *eaque se uti regula.* Hic V cum habeat *eamque se uti (secuti* corr.) *regulam,* vide ne scribendum sit *eamque se sequi regulam.*

Acad. 2, 80. *Hoc est verum esse, confidere suis testibus, et importata insistere.* Hic, ubi Epicurus sensuum veritatem mordicus tenens neque ullis argumentis a sententia abduci se patiens acerbe perstringitur, primum cum Madvigio *verum* in *virum* mutandum est, deinde verba *et importata,* in quibus vel *et* tertio loco positum vitiosum esse, recte Madvigius monuit, ita emendanda esse videntur ut scribatur: *etiam omni spe orbatum;* cf. ad fam. 6, 6, 2 *adflictum et jam omni spe salutis orbatum;* de fin. 3, 36 *etiam omni impunitate proposita;* 2, 82 *etiam omissa spe.*

De fin. 2, 18. *Sed dum dialecticam, Torquate, contemnit Epicurus . . . ruit in dicendo, ut mihi quidem videtur, nec ea quae docere volt, ulla arte distinguit.* Verba *in dicendo* inepte addita sunt, quoniam ad aliud quam ad orationem ruinae illae pertinere nequeunt. Atqui cum ne id quidem, quod Bakius proposuit *in docendo* in tanta vicinitate verborum *quae docere volt* ullo modo tolerabilia videatur, nihil restat nisi ut verba illa ejiciantur.

De fin. 2, 43. *Itaque hic ipse* (Erillus) *jam pridem est rejectus; post enim Chrysippum non*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sane est disputatum. Dicit scriptor, Chrysippum ultimum fuisse qui Erillum oppugnaret, ab iis qui sequerentur, eum neglectum esse; quae sententia prorsus obscurabitur, nisi scribemus *non sane est [contra eum] disputatum*, ut paulo ante, ubi de Aristone et Pyrrhone sermo est, invenitur: *recte jam pridem contra eos desitum est disputari.*

De fin. 2, 109. *Quid? si etiam bestiae multa faciunt duce sua quaeque natura.* Sprevit Madvigius, quem secutus est Baiterus, lectionem Erlangensis *sua quaque natura*, qua adscita eandem orationis conformationem habebimus, quam ipse de fin. 5, 46 doctissime inlustravit. Et cum etiam codices Baiteri A et B conspirent in lectione illa, non video, quid vetet eam pro Tulliana adgnoscere.

De fin. 2, 118. *tute introspice in mentem tuam ipse eamque omni cogitatione pertractans percontare ipse te.* Admodum insuave vel potius intolerabile prius *ipse* si deleverimus, optime alterum voci *tute* respondebit.

De fin. 3, 6. *neque ut ea cognoscas, quae tibi notissima sunt, ad te mitto.* Objectum, quod verba *ad te mitto* postulant, cum nec ex proximis superioribus verbis repetere liceat neque ex iis quae pluribus enuntiatis separata antecedunt *haec ad te scribo*, ante *ad* addendum est *haec*.

De fin. 3, 52. *sic in vita non ea quae primo loco sunt, sed ea quae secundum locum obtinent, προηγμένα, id est producta nominentur.* Hic cum codices optimi habeant *primorie*, posteaquam recte docuit Madvigius, nec *primario* nec *primore* hujus aetatis esse idemque *primo* unice verum esse fidenter pronuntiavit, non obsecutus est Baiterus et in utraque editione Klotzii conjecturam *priore* recepit. Sed ne hoc quidem ferri posse, praeter consuetudinem Tullianam vel proxima docent *omne quod est bonum primum locum tenere dicimus*, quoniam ridicula esset in hac quidem re orationis variatio. Quae cum ita sint, restat ad *primo* stabiliendum, ut mendi origo exploretur. Nimirum latet in *primorie primo ordine*, quam vocem adscripsit, qui haec ad antecedentia *quorum ordo proxime accedit, ut secundus sit*, adcommodare studeret.

Tusc. 1, 50. *quasi vero intellegant, qualis sit* (ante) *in ipso corpore . . . ut, si jam possent in homine vivo cerni omnia, quae nunc tecta sunt, casurusne in conspectum videatur animus an tanta sit ejus tenuitas, ut fugiat aciem.* Prorsus adsentior Heinio statuenti, hunc locum a Lambino, qui *ut si* mutavit in *aut si*, emendatum non esse, cum nec *quasi vero* cum interrogatione bipartita conjungere liceat nec e voce *intellegant*, quam admodum dure ad *aut* intellegi volunt, ejusmodi interrogatio pendere possit. Sed quod ipse posuit: *ut, si jam possint — casurus — an tanta est*, propterea non placet, quod conjunctione *ut* retenta tollitur gradatio elegantissima, quam inter duo sententiae membra intercedere, ex verbis *si jam possent in homine vivo cerni omnia* adparet, quibus id imperatur, quo perversitas illorum, qui animi in ipso corpore conformationem intellegere sibi videntur, etiam magis inlustretur. Quocirca *aut* vere Lambinum invenisse tenendum est, cetera ita scribenda sunt *casurus in conspectum videatur ac non tanta sit ejus tenuitas ut fugiat aciem.* Cf. simillimam sententiae conformationem in loco qui invenitur ad fam. 3, 2, 2 *pluribus verbis ad te scriberem, si aut tua humanitas longiorem orationem ex-*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

spectaret aut id fieri nostra amicitia pateretur aut res verba desideraret ac non pro se ipsa loqueretur.

Tusc. 1, 109, 110. *Quamquam enim sensus abierit, tamen summis et propriis bonis laudis et gloriae, quamvis non sentiant, mortui non carent. Etsi enim nihil in se habet gloria, cur expetatur, tamen virtutem tamquam umbra sequitur. Verum multitudinis judicium de bonis si quando est, magis laudandum est, quam illi ob eam rem beati. Non possum autem dicere, quoquo modo hoc accipietur, Lycurgum . . . carere gloria.* Hic prorsus adsentior Seyfferto censenti, verba *verum multitudinis judicium* et cetera nullo neque rationis neque orationis vinculo cum iis quae antecedunt, conexa esse. Sed quod ipse vinculum illud invenisse sibi visus est *igitur* ante *verum* posito, nihil, si quid video, profecit. Quid enim? Ea quae Ciceronem dicere voluisse statuit, nihil referre quomodo multitudo de bonis sentiat: sive vere sive secus sentiat, tamen se hoc adfirmare, mortuos vera laude non carere, num ullo pacto ex verbis Tullianis elicere licet? Nimirum in proxima superiore sententia cardo rei in eo vertitur, ut significetur, gloriam quasi necessitate quadam cum virtute conjunctam esse, in altera de multitudinis judicio, quo Cicero quidem gloriam non metitur, ita disputatur, ut si verum sit, illam propterea laudandam esse, bonos eo beatiores non fieri, demonstretur. Haec, si *igitur* additur, non magis cohaerent, quam si deest, neque alia rectae sententiarum rationis restituendae via restat, quam ut verba illa ut insitiva ejiciamus.

Tusc. 2, 51. *Obversentur species honestae vero* (ita codices): *Zeno proponatur Eleates* etc. Tregderi conjecturam *viro*, in qua cum Baitero etiam Seyffertum acquievisse video, recte ab Heinio improbata est; nam emphasis, qua ille in *viro* tuendo utitur, propterea hic locum non habet, quod non vir ignavo opponitur, sed de ipso illo homine forti, in quo perfecta inest sapientia, jam in proximis superioribus sermo est. Itaque hoc nomine cum Heinio *vero* prorsus delendum esse censerem, praesertim cum in eodem capite bis inveniatur *vero*, ita ut in hunc locum librariorum neglegentia inrepsisse videri possit, nisi alia mutatio praesto esset, qua Ciceronis manus, nisi me fallit, restituetur. Scribendum enim est: *obversentur species honestae et verae;* cf. Hor. sat. 2, 3, 208 *Qui species alias veris scelerisque tumultu Permixtas capiet commotus habebitur;* praeterea Tac. ann. 4, 9 *vero quoque et honesto fidem dempsit;* ad Att. 4, 5, 1 *Sed valeant recta, vera, honesta consilia.*

Tusc. 4, 36. *Quod nisi eo nomine virtutes continerentur, numquam ita pervolgatum illud esset, ut jam proverbii locum obtineret, hominem frugi omnia recte facere.* Dicit Cicero de frugalitate, cui hic ut 3, 16 latiorem significationem subjicit, ut non pro una temperantia sit, sed, ut altero loco scriptum invenitur, omnem etiam abstinentiam, omnem innocentiam, reliquas etiam virtutes contineat. Unde sequitur, hic quoque scribendum esse *nisi eo nomine [omnes] virtutes continerentur.*

Tusc. 4, 40. *Quid, si, cum id ferret modice, mors liberorum accessisset? Nata esset aegritudo nova, sed ea modica. Magna tamen facta esset accessio.* Hic recte non tulerunt Bentley et Bake verba *sed ea*, quibus sententia ita concluditur et absolvitur, ut quae adduntur *magna*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tamen facta esset accessio inepta videantur. Scribendum esse videtur *nova, scilicet modica,* ita ut orationis conformatio non dissimilis sit ei quae invenitur de fin. 5, 3 *Me . . . species quaedam commovit, inaniter scilicet, sed commovit tamen.* De vocibus *sed* et *scilicet* mutatis vide Wesenberg emend. epp. Cic. p. 91.

Tusc. 4, 51. *haec cum constituta sunt judicio atque sententia, tum est robusta illa et stabilis fortitudo.* Non de ea fortitudine dicit Cicero, quae, cum antea infirma fuerit, deinde fiat robusta, sed adfirmat, fortitudinem, quae vere hoc nomine digna sit, tum demum, cum constitutum habeamus, contemnendas esse res humanas, mortem esse neglegendam et quae reliqua in superioribus adferuntur, elucere atque eminere. Quam sententiam efficiemus, si *est* in *exsistit* mutabimus; cf. de fin. 5, 24 *ita finis bonorum exsistit secundum naturam vivere;* 40 sic *exsistit extremum omnium adpetendorum;* 67 *quando igitur inest in omni virtute cura quaedam quasi foras spectans . . . exsistit illud, ut amici . . . propter se expetendi sint;* Tusc. 3, 28 *atque hoc quidem perspicuum est, tum aegritudinem exsistere, cum quid ita verum sit, ut magnum quoddam malum adesse et urguere videatur;* 5, 70 *haec tractanti exsistit illa adeo Delphis praecepta cognitio;* 71.

Tusc. 4, 56. *At etiam aemulari utile est, obtrectare, misereri.* Vitiosum *etiam* Seyffertus mutavit in *enim,* praestat omnino delere, quippe quod ex proximis *quod id etiam alius habeat,* inrepserit.

Tusc. 5, 87. *sequetur igitur horum ratione vel ad supplicium beata vita virtutem . . . nec eam minimis blandimentis corrupta deseret.* Quod Baiterus Wesenbergium secutus obelo hunc locum notavit, rectius fecit, quam Seyffertus et Heinius, qui scripserunt *minis blandimentis,* quoniam asyndeton hic non magis tolerari potest praesertim in zeugmate quam 3, 6, ubi idem Baiterus non dubitavit consuetudinem Tullianam (cf. 3, 25 *omnibus viribus atque opibus repugnandum est*) exprimere scribendo *opibus atque viribus.* Equidem in *minimis* nihil aliud latere puto quam *voluptatis,* quae voluptas, si hic non modo cogitatur sed nomine appellatur, sententiae vis ac pondus multum augetur; cf. de rep. 1, 1 in simili sententia *omnia blandimenta voluptatis;* de fin. 1, 33 *blanditiis praesentium voluptatum deleniti atque corrupti.*

De deor. nat. 2, 84. *et cum quattuor genera sint corporum, vicissitudine eorum mundi continuata natura est; nam ex terra aqua, ex aqua oritur aer, ex aere aether; deinde retrorsum vicissim ex aethere aer; inde aqua; ex aqua terra infima.* Hic nec per se *infima* aptum est, ita positum, quasi infima terra ab alia, quae non sit infima, distinguatur, et offendit ejusmodi adjectivum uni ex quattuor generibus oppositum, reliquis non item. Itaque vox *infima* delenda est.

De deor. nat. 2, 132. *artes denique innumerabilis ad victum et ad vitam necessariae.* In rebus humano generi salutaribus, quas natura procreavit, quoniam artes locum non habent, Baiterus Moseri inventum *res* adscivit; sed cum *artes* in codice Leidensi in rasura sit, sed *tes* ab antiqua manu, scribendum esse videtur *utilitates;* cf. 145 *nares, quae semper propter necessarias utilitates patent;* 159 *longum est mulorum persequi utilitates et asinorum;* 161 *herbis quarum utilitates longinqui temporis usu et periclitatione percepimus.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De deor. nat. 3, 62. *Exsectum a filio Caelum, vinctum itidem a filio Saturnum, haec et alia generis ejusdem ita defenditis, ut ii qui ista finxerunt non modo non insani, sed etiam fuisse sapientes videantur.* Collocatio vocis *fuisse,* quam iis hyperbati exemplis, quae apud Ciceronem inveniuntur, excusare non licet, suadet, ut leni vel potius nulla fere mutatione scribamus *non modo non insanisse, sed etiam fuisse sapientes;* cf. Tusc. 3, 18 *omnes insipientes igitur insaniunt* et saepius.

De divin. 1, 2. *Gentem quidem nullam video neque tam humanam atque doctam, neque tam inmanem tamque barbaram.* Hic quod codices habeant *tamque doctam* non video cur editores rejecerint, cum etiam duorum membrorum aequabilitate vel maxime Tulliana commendetur.

De divin. 1, 12. *observata sunt haec tempore inmenso et in significatione eventus animadversa et notata.* Conlatis locis 1, 72 *quae vero aut conjectura explicantur aut eventis animadversa ac notata sunt* et 1, 25 *cum paene innumerabiliter res eodem modo evenirent isdem signis antegressis, ars est effecta eadem saepe animadvertendo ac notando* verisimile fit, haec ita scribenda esse *et significationum eventis animadversa et notata.*

De divin. 1, 40. *Num te ad fabulas revoco vel nostrorum vel Graecorum poetarum?* In somniorum exemplis enumerandis quomodo Cicero ita significare potuerit, se jam ad ea somnia transiturum, quae fabulis prodantur, non video; debebat saltem dicere: quid te revocem? illud non magis dicere licuit, quam num commemoro? pro formula usitatissima: quid commemorem? Unde sequitur, ut aut in scriptura codicis Erlangensis *nunc* acquiescamus, aut, quod magis placet, quoniam paullo post missis illis fabularum somniis ad ea, quae historiae memoria propagata sunt, transitur, *non te revoco* scribendum sit.

De divin. 1, 95. *idemque de rebus majoribus semper aut Delphis oraclum aut ab Hammone aut a Dodona petebant.* Concinnitas orationis ut servetur, ante *Delphis a,* quod B supra lineam habet, addendum est. Paulo ante in verbis *omitto nostros, qui nihil in bello sine extis agunt, nihil sine auspiciis domi habent,* ubi codices addunt *auspicia,* Christius, quem secutus est Baiterus, *habent* artificiosa interpretatione tuetur; unice verum vidisse Schuetzium qui *habent auspicia* tamquam librarii additamentum delevit, docet locus similis 1, 3 *nihil publice sine auspiciis nec domi nec militiae gerebatur.*

De divin. 1, 107. *Atque ille Romuli auguratus pastoralis, non urbanus fuit, nec fictus ad opiniones imperitorum, sed a certis acceptus et posteris traditus.* *A certis* et per se male dictum est pro *a certis hominibus* (cf. de domo 28; pro Sestio 41; pro Marc. 16; pro Flacco 94; de lege agr. 2, 6; 15; 63; 70) nec adparet relatio contraria, quam inter hanc vocem et proximam *posteris* intercedere exspectes. Scribendum esse videtur *a veteribus.*

De divin. 2, 20. *Si omnia fato, quid mihi divinatio prodest? quod enim is, qui divinat, praedicit, id vero futurum est.* *Vero* intellegi nequit, quoniam nec oppositioni nec adfirmationi locus est. Cicero, cum a fato divinationem repeti posse neget, quod ea ars, quae rerum fortuitarum sit, non congruat cum aeterna futuri temporis veritate fataliter constituta, scribendum est *id verum futurum est;* cf. de fato, 13 *ille enim id solum fieri posse dicit, quod sit verum*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

aut futurum sit verum; 17 *placet igitur Diodoro, id solum fieri posse, quod aut verum sit aut verum futurum sit.*

De divin. 2, 29. *cum rerum natura tanta tamque praeclara in omnis partis motusque diffusa quid habere potest commune . . . gallinaceum fel.* **Motus** qui intactum reliquerunt nescio an interpretati sint voce Germanica „Richtungen", cujus significationis exempla desunt. Ac mendum latere suspicatus est Davisius, qui quod conjecit *locosque*, debebat saltem *locaque*. Sed vereor ut corruptela una voce *motusque* contineatur, cum vel *partis* propter nimis incertam notionem displiceat. Scribendum esse videtur *in omnes partus animantesque.*

De divin. 2, 109. *‚At impudentes sumus, qui, cum tam perspicuum sit, non concedamus.' Quid est perspicuum? ‚Multa vera', inquit ‚evadere'.* Quamvis ex Ciceronis argumentatione quid perspicuum esse dicat, adpareat, tamen, cum statim interrogatione praecedente ipsum adversarium demum quasi nescienti ipsi respondentem faciat, multo facilius sermo fluet, si scribemus *quod tam perspicuum sit.*

De divin. 2, 130. *Quid ergo? ad haec mediocri opus est prudentia an et ingenio praestanti et eruditione? talem autem cognovimus neminem.* Non omnino se ejusmodi ingenio et eruditione praeditum hominem ignorare Cicero dicit, sed rerum divinarum interpretem. Itaque scribendum est: *talem autem [divinum] cognovimus neminem*, ut statim 131 invenitur *vide igitur ne . . . neminem tamen divinum reperire possimus.*

De divin. 2, 136. *omnium somniorum, Quinte, una ratio est, quae, per deos immortales, vide ne nostra superstitione et depravatione superetur.* Cicero dicit, humana superstitione impediri, quominus quae sit vera ratio somniorum intellegatur, ad quam sententiam quomodo adcommodari possit vox *superetur* nescio. Verum esse videtur *obscuretur.*

De fato 22. *ex quo efficitur, etiamsi sit atomus eaque declinet, declinare sine causa.* Hic cum codices habeant *ut jam si sit*, probabile fit, scribendum esse *ut jam sit* ea dicendi forma, qua, ut hoc exemplo utar, de divin. 2, 33 invenitur *ut enim jam sit aliqua in natura rerum contagio*, quod ipsum paulo post Cicero explicat verbis *demus hoc*; cf. etiam ad fam. 1, 9, 13 *In quo, ut jam sit in iis culpa, qui me non defenderunt, non minor est in iis, qui reliquerunt*; ad Att. 8, 4, 5 *qui autem locus erit nobis tutus, ut jam placatis utamur fluctibus, antequam ad illum venerimus.*

Lael. 101. *Quoniamque ita ratio comparata est vitae naturaeque nostrae, ut alia aetas oriatur, maxime quidem optandum est, ut cum aequalibus possis, quibuscum tamquam e carceribus emissus sis, cum isdem ad calcem pervenire.* Verba *ut alia aetas oriatur* si intacta relinquuntur, mancam esse sententiam, non est quod demonstretur. Vitium aliquo modo removetur lectione Orelliana *alia ex alia*, pro qua qui voluerunt *alia e nostra*, neglexerunt, vocem proximam *nostrae* idem valere quod *hominum*. Equidem in illa lectione acquiescerem, nisi in sententia, qua senum potissimum condicio describitur, requirerem, quod eam aetatem, quam alia excipit, etiam magis significet. Id quod adsequemur scribendo: *ut alia aetas oriatur, [alia occidat].*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

De off. 1, 15. *Quae quattuor quamquam inter se conligata atque implicata sunt, tamen ex singulis certa officiorum genera nascuntur, velut ex ea parte, quae prima descripta est . . . inest indagatio atque inventio veri.* Frustra editores operam dederunt, ut vocem *inest* excusarent. Heinius quidem quod exemplum adtulit 3, 33 *ad quas consultationes ex superioribus libris satis multa praecepta,* id ita tantum simile esset, si non *sunt,* sed *insunt* exhiberet. Hic *inest* eo magis offendit, quod verba *ex singulis — nascuntur* antecedunt. Quid multa? ut saepe, ita hic quoque verbum *inest,* quod in proximo enuntiato *in quo inest modestia et temperantia* invenitur, alterum genuit, quo deleto omnia plana sunt.

De off. 1, 103. *Ut enim pueris non omnem ludendi licentiam damus, sed eam, quae ab honestatis actionibus non sit aliena, sic in ipso joco aliquod probi ingenii lumen eluceat.* Non sibi constitit Baiterus, qui *honestatis actiones* hic reliquit, cum Tusc. 5, 78 Lambini emendationem *pravis erroribus* lectioni codicum *pravitatis erroribus* praetulisset. Mea quidem sententia Tullianam consuetudinem, quippe quae simplicissima quaeque adscisci jubeat, optime exprimemus, si utroque loco adjectivum reponemus.

Parad. 2. *in ea est haeresi, quae nullum sequitur florem orationis neque dilatat argumenta: minutis interrogatiunculis quasi punctis quod proposuit efficit.* Cum V[1] habeat *effecit,* in margine autem adjectum *cum* post *argumentum,* scribendum esse videtur *cum minutis — effecit,* ut Stoici interrogatiunculis illis absolutis supersedere argumentis dilatandis dicantur, cum Cicero utraque disputandi ratione uti soleat.

Parad. 9. *si, quod recte fit et honeste et cum virtute, id bene fieri vere dicitur, quod rectum et honestum et cum virtute est, id solum opinor bonum.* In tali sententiae conformatione, qualem hic habemus, quoniam verbum substantivum deesse nequit, (cf. de fin. 3, 27 *bonum igitur quod est, honestum est*) *est* post bonum, id quod ante proximum *sed* facile fieri potuit, intercidisse censendum est.

Parad. 11. *Ponite ante oculos unumquemque [regum].* Non de regibus solum dici cum vidisset, Madvigius vocem *regum* delevit, sed leniore medela scribemus *veterum*, quod, *ve* proximo *que* absorpto, facile corrumpi potuit. Cf. de divin. 1, 5 *Atque haec, ut ego arbitror, veteres rerum magis eventis moniti quam ratione docti probaverunt;* 1, 21 *Rite igitur veteres, quorum monumenta tenetis, Qui populos urbisque modo ac virtute regebant;* imprimis 1, 89 *omnino apud veteres qui rerum potiebantur, idem auguria tenebant,* ubi statim reges Romanorum commemorantur.

De leg. 1, 10. *Legationem aliquam nimirum ista oratio postulat aut ejusmodi quampiam cessionem liberam atque otiosam.* Immerito cum Halmio Baiterus reliquit codicis A lectionem *cessationem,* quae vox confirmatur loco qui invenitur de deor. nat. 1, 102 *profecto Epicurus quasi pueri delicati nihil cessatione melius existimat,* cum *cessio* nisi ita ut abalienationem significet, non inveniatur.

De leg. 1, 49. *Ubi enim beneficus, si nemo alterius causa benigne facit? ubi gratus, si non eum ipsi cernunt grati, cui referunt gratiam?* Verba *si non eum ipsi cernunt grati,* quae sen-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tentia prorsus carent, ut emendentur, primum tenendum est, idem fere iis contineri necesse esse, quod continetur enuntiato proximo *si nemo alterius causa benigne facit*; deinde *grati* subjecti instar esse, ita ut in verbo *cernunt* id lateat, [quod notionem benigne faciendi vel consulendi, quae desideratur], exprimat, denique verisimile esse *ipsi* in ejusmodi sententia non ad subjectum, sed ad eum, cui gratia refertur, pertinere. Quae omnia adsequemur scribendo *si non ei ipsi serviunt grati.*

De leg. 1, 52. *labebar longius, nisi me retinuissem.* Q. *Quo tandem? libenter enim, frater quod istam orationem tecum prolaberer.* Hic cum codices habeant *prolaber*, scribendum videtur *libenter enim [faciebam], frater, quod [in] istam orationem tecum prolabebar;* cf. 63 *deinde facio et lubenter et, ut spero, recte, quod eam* (sapientiam) . . . *non possum silentio praeterire.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf